









Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM  
JURIS PUBLICI

*ad L. 4. de Captiv. & l. ult. de Legation.*

DE

SPONSIONE  
ROMANORUM  
NUMANTINA,

SUB PRÆSIDIO

DN.

CHRISTIANI THOMASII,

Præceptoris sui venerandi,

in

ACADEMIA PATRIA

solemniter proponet

JOHANNES JACOBUS von Dyffel,

Lipsiensis,

AD D. XIX. APRILIS, ANNO c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup>c LXXXVIII.

H. L. Q. C.

---

Recusa 1731.

(7)



STROMAZIONE  
ROMANORUM  
ANTIMANIA

CHRISTIANI THOMASII  
Paeceptoris sui venetandi

ACADEMIA PATENSIS  
JOHANNES JACOBUS DEO STREB...

AD XIX APRILIS, ANNO MDCCXXIII  
H. L. O. C.

BOCHNER...



# DISSERTATIONIS SUMMARIÆ.

*Textus Modestini & Pomponii*  
§. 1. qui occasionem præsentis  
disputationi præbuerunt §. 2.

*Historia occasionis belli Romano-  
rum cum Sedicensibus* §. 3. *Ju-  
stitia hujus belli.* §. 4. 5. 6. *Hi-  
storia originis belli Numanti-  
ni.* §. 7. *Notatur Zevecotius.* §.  
8. *Justitia hujus belli* §. 9. 10.  
15. 17.

*Deditio vel Activa, vel passiva* §.  
11. *Activæ subdivisio Grotiana*  
*in puram & conditionatam*  
*expeditur.* §. 12. *Deditio fit*  
*vel non hosti, & quænam sit*  
*ejus natura* §. 13. *vel hosti, &*  
*quid hic liceat.* §. 14. 15.

*Historia continuati belli Numan-  
tini.* §. 18. *An deditioem Nu-  
mantinorum Romani postula-  
verint?* §. 19. 20. *An recte Nu-  
mantini armorum traditio-  
nem negaverint?* §. 21. 22.

*Historia belli Numantini cum*  
*Pompejo* §. 23. *Pompeji mores*  
§. 24. *Fœdus cum Pompejo an*  
*infame & turpe?* §. 25. *Mali-  
tia Pompeji in negando fœdere*  
§. 26. *Pompejus an Numanti-  
nis dedendus?* §. 27. *Deditio*  
*Pompeji injuste omissa* §. 28.

*Historia belli Numantini & fœ-  
deris cum Mancino* §. 29. *Man-*

*cini mores & historia Gellii de*  
*Mancino* §. 30. *Quæstiones ju-  
ridicæ ex hac historia* §. 31. 32.  
33. *An Mancinus Gellii idem*  
*fit cum nostro? notatur Glan-*  
*dorpius* §. 34. *Cur Numantini*  
*cum Graccho magis quam Man-*  
*cino fœdus inire voluerint?* §.  
35. *Fœdus hoc an turpe?* §. 36.  
37. *Historia rescissi hujus fœ-*  
*deris & Mancini dediti* §. 38.  
*Invectiva Orosii in Romanos.*  
39.

*Defensores Romanorum. Quæ-*  
*stiones duæ.* §. 40.

I. *An Mancinus præ Graccho de-*  
*ditionem fuerit meritus? An*  
*argumentum Orosii a Varrone*  
*stringat?* §. 41. *Argumenta Æ-*  
*rodii pro Graccho contra Man-*  
*cinum rejiciuntur.* §. 42. 43. 44.  
45. *An Mancinus juste suam*  
*deditioem suaserit?* §. 46.

II. *An Romani deditioem Mancini*  
*liberaverint fidem suam?* §.  
47. 48. *Comparatio Sponsionis*  
*Numantine cum Caudina.* §.  
49. *Historia motæ Mancino*  
*controversiæ status post redi-*  
*tum in Senatum a Rutilio.* §. 50.  
*Loca Ciceronis de hac quæstione*  
§. 51. *Explicatur Lex Pompo-*  
*nii in l. ult. de legation. De de-*



ditione eorum, qui legatos hostium pulsant. §. 52.

Deditionis passivæ definitio. Est duplex, vel ob delictum, vel ob contractum. §. 53.

Notatur Pomponius, quod errorem in historia admisit Sponsonem Caudinam cum Numantina confundens. §. 54. 55. De controversia Mantini disenserunt Jcti, interque eos potissimum Brutus & Scævola §. 56.

Due quæstiones I. An Mancinus Civitatem amisit? & II. An eam iure postliminii recuperaverit? §. 57.

Quoad primam infringitur argumentum Pomponii deditionem & Interdictionem aqua & igne comparantis. §. 58. 59. respondetur Gæddæo & Henr. Henni-

ges. §. 60. exponitur locus Ciceronis in Oratione pro Cæcina. §. 61.

Quoad posteriorem quæritur: An Dediti habeant Postliminium? Dissensus Pauli & Modestini §. 62. Examinatur conciliatio Grotii §. 63. 64. 65. Explicatur locus Ciceronis in Topicis §. 66. 67. 68. Deditio non est absque acceptione §. 69. Conciliatur Grotius cum Cicerone §. 70. 71. Ad objectionem Francisci Balduini respondetur §. 71. An olim Scævole, an vero Bruti sententia fuerit approbata? §. 73. Exponitur textus Modestini in l. 4. de captiv. §. 74. 75.

Defenditur, quod iure disputaverimus contra sententiam Modestini & Scævole. §. 76.

§. I.



Modestinus Jctus libro 3. regularum ita scriptum reliquit: Eos, qui ab hostibus capiuntur vel hostibus deduntur, iure postliminii reverti antiquitus placuit. An, qui hostibus deditus reversus, nec a nobis receptus, civis Romanus sit, inter Brutum & Scævola varie tractatum est? Et consequens est, ut civitatem non adipiscatur. Refert hæc Modestini verba Tribonianus in l. 4. ff. de capt. & postl. revers. qui sub alio titulo & nempe in l. ult. ff. de Legat. textum huic parallelum ex Pomponii libr. 37. ad Q. Mutium collocavit. Eum, qui legatum hostium pulasset, Quintus Mutius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere; quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an civis Romanus maneret? quibusdam existimantibus manere, aliis contra: quia quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulsi videretur, si ut faceret, cum aqua & igni interdiceret, in qua sententia videtur Publius Mucius fuisse. Id au-



*Id autem maxime quaesitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt, de quo tamen lex postea data est, ut esset civis Romanus, & praetura quoque gessisse dicitur.*

§. II. Hanc controversiam, quam Modestinus & Pomponius, tractant, a Romanis pro illustri fuisse habitam, indicio est, quod praeter alios Cicero, ut suo loco indicabimus, ejusdem in libris suis saepius mentionem injiciat, idemque a nostris fieri ex eo concludere licet, quod frequenter Jcti hodierni, qui quaestiones de Jure Belli & Pacis exponere aggressi sunt, ad infelicem Mancini Sponsionem & bellum Numantinum provocent. Quare cum nobis proposuerimus, ad praefatas Modestini & Pomponii leges, quaedam per modum Dissertationis Academicæ commentari, vitio nobis, ut speramus, nemo vertet, si ad meliorem intellectum quaestionis propositæ totam historiam belli Numantini breviter & succinctè recenseamus, & simul in singulis circumstantiis momentum aliquod afferentibus, de eo, quid in illis justum nobis aut injustum esse videatur, epitrisin nostram paucis inferamus. Hoc enim modo non solum occasionem honestam arripiemus declarandi modeste, quos profectus in Jurisprudencia, quæ, ut Dupondii norunt, justis & injustis scientia est, fecerimus, sed & viam nobis præparabimus, sine hæsitatione pergendi in definitione quaestionis adductæ eo facilius expedienda.

§. III. Segedam urbem magnam & opulentam fœderi suo Tiberius Gracchus, cum Hispaniam ordinaret, adscripserat. Hanc Celtiberi incolebant, atque coactis deferere minora oppida incolis augebant, & murum stadiorum quadraginta circumextruebant. Neque parere Senatui Romano voluerant, vetanti novari quicquam, tributaque & auxiliares copias imperanti. Quippe fœdere Gracchano perscriptum quidem asserant, ne urbes novas conderent: veteres quin instaurarent, munirentque, nihil exceptum; tributorum vero & militiæ vacationem ab ipso Senatu post Gracchi fœdus datam: neque aberat hoc a vero: sed immunitas illa, cum a Senatu conceditur, addi semper solet: mansuram, donec Senatui populoque Romano videatur. Ita Freinshemius refert *Supplem. Liv. lib. 12. cap. 36.*

§. IV. Hæc belli occasio cum Sedigensibus, si de ejus justitia quicquam accurate definiiri deberet, fœdus Gracchanum ipsum esset inspiciendum, ut cognoscatur non solum, utrum fœdus æquale fuerit, an inæquale, utrum cum diminutione majestatis vel libertatis civilis Sedigensium fuerit conjunctum, an minus; tum ex antecedentibus & consequentibus



illius articuli, in quo dictum fuit; *Ne Sedigenses novas urbes conderent* judicandum foret de ratione hujus articuli, & quid Romanos impulerit, ut novas urbes condi nollent. Nam si forte ista verba fœderis adjicere ideo voluerint Romani, ut impetratio consensus in novarum urbium extructione denotaret aliquam submissionem Sedigensium & reverentiam Romanis debitam, dicerem, non violasse Sedigenses fœdus instauratione veteris urbis, neque adeo Senatum habuisse potestatem interdicens extructionem muri, cum in omni pacto interpretatio fieri debeat contra illum, in cujus singularem utilitatem aliquid est adjectum, quoniam hic mentem suam debuisset clarius exprimere. Accedit, quod recte hoc quidem casu allatum fuisset a Sedigensibus, aliud esse instaurare veteres urbes, aliud novas condere, neque adeo per interpretationem declarativam prius factum sub posteriori comprehendi. Extensiva autem interpretatio ideo non posset hic sibi vindicare locum, quoniam restrictio libertatis semper odiosa habetur, odiosa autem secundum communem Doctorum sententiam non admittunt interpretationem extensivam.

§. V. Alia omnia dicenda forent, si, ut videtur, Romani per ea verba intenderint avertere metum crescentis potentiae Sedigensium, & prospicere securitati suae, ne videlicet Sedigenses per extructionem novarum urbium, munimentis firmatarum, damnum exinde dare Romanis, & in eas, tanquam in tuta receptacula, rursus recedere possent. Etsi enim & tum afferri posset, hoc pactum restringere libertatem Sedigensium, adeoque non debere extendi ad instaurationem veteris municipii, & Romanos potius debuisse clarius loqui, si instaurationem sub verbis fœderis comprehendi voluisset, tamen, quoniam regulæ bonæ interpretationis, quoties inter se concurrunt, una cum altera conferri debet, & debilior fortiori cedere, duæ rationes hic potissimum pro interpretatione extensiva militant. Initio quippe non solum regula generalis interpretationis extensivæ hic locum habet, quod eadem sit ratio instaurationis antiquæ urbis, quæ est extructionis novarum, quoniam per illam æque securitas Romanorum turbaretur, atque per hanc, & haud dubie tum Sedigenses instaurassent veterem urbem in fraudem pacti, & ad eludendam ejus vim, adversus quas fraudes diluendas insignem usum afferre solet extensiva interpretatio. Deinde generalis regula est, se diffundens per omnia interpretationis genera, quod verba ita explicanda sint, ne nullus inde oriatur effectus, & negotium pereat, utpote quo casu etiam verba in sensu inpropriissimo possunt accipi. At profecto nullum effectum habuisset

set



set fœdus istud Gracchanum, ( præsupposita hac posteriori ratione ) quoniam haut dubie tam munitam reddidissent urbem suam Sedignenses, ut exinde impune laceffere potuissent Romanos. Conf. Dn. Præsid. *Instit. Jurisprud. divin. l. 2. c. ult. §. 63. 88. § 100.*

§. VI. Quod autem vacationem tributorum & militiæ Sedignensibus a Senatu Romano post fœdus Gracchanum indultam attinet; si quidem per istud fœdus majestati Sedignensium aliquid detractum fuit, poterat quidem Senatus afferre, hanc vacationem saltem tamdiu durare debere donec Senatu P. Q. R. videretur, quia hæc clausula regulariter & tacite inest in privilegiis, quæ subditis conceduntur. At si libertatem civilem in illo fœdere retinuerunt Sedignenses, vereor, ut clausula ista, si non expresse fuerit adjecta concessioni immunitatis, subintelligi debeat, quoniam id quidem nulla prægnans svadet ratio.

§. VII. Postquam vero Populus Romanus Qv. Fulvium adversus Sedignenses misisset, atque hi cum Romanis procul urbe Numantia pugnarent, Numantini, qui pridie Arvaccos Sedignensium socios Romanorum manibus elapsos exceperant, cum viderent rem Sedignensibus prospere cedere, portis erumpunt, palatosque Romanos affecuti ad quatuor hominum millia interficiunt. Hac tamen fortuna non insolenter usi, misere legatos ad pacem æquis conditionibus petendam, quibus vero a Romanis responsum est: Pacem nisi deditis dari non posse. Freinshemius *d. l. 12. c. 36. 37. 38. 39.* Quæ ita in summam contraxit Florus *l. 2. c. 18. Sedignenses socios & consanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperant, (Numantini.) Habita pro eis deprecatione nihil valuit.*

§. IIX. Ad istum Flori locum Jacobus Zevcotius *p. m. 325.* quærit: An supplices & profugos excipere ac securos præstare quis possit? Diversisque pro utraque parte adductis exemplis, concludit, propositæ quæstionis solutionem dependere maxime a viribus & voluntate eorum, ad quos supplices confugerunt. Utrumque & inconvenienter & inepte. Alia enim causa est recipere socios nostros sui juris homines; alia: recipere subditos aliorum, quales regulariter supplices & profugi sunt. De profugis non loquitur Florus, ( quorsum referre posses ex historia præsentis repetitionem D. Burneti & aliorum ex Anglia profugorum & a Belgis receptorum ) sed de Sociis. Deinde quid magis incongruum, quam movere quæstionem de justitia & injustitia actionis alicujus, & postea ejus decisionem relinquere voluntati singulorum, non aliam ob causam, quam quod ab utraque parte exempla possint adduci.

§. IX.



§. IX. Si ab autoritate hic pugnare instituissemus, non possemus melius testimonium aduersus Romanos producere, quam ipsius Flori *d. l. Non temere, ait, si fateri licet, ullius causæ belli iniustior:* (ex parte videlicet Romanorum, ut contextus ostendit) Sed rationem potius sequemur ducem. Quod socios & consanguineos exceperint Numantini, neque factum in se licitum aut illicitum est, sed a iustitia aut iniustitia belli a Sedigensibus suscepti aliquatenus dependet. Quod si enim iusta fuerunt arma Sedigensium, iusta quoq; fuit receptio. Sin iniusta, non statim tamen receptio iniusta foret, sed potius considerandum esset, qua intentione socii fuerint recepti. Si Flori verba saltem iustremus, videbatur dicendum, pacis tantum quærendæ causa receptionem Sedigensium a Numantinis factam fuisse, quo pacto illa receptio nihil vitii in se haberet, quia etiam iustam belli causam habet, in medio bello de pace, tanquam cujuslibet belli iusti, cogitare debet, & oblatam satisfactionem alterius serio factam acceptare. Sed si aspiciamus ea, quæ fufius narrat Freinshemius, per receptionem illam causæ iniustæ participes se fecissent, dum non solum novos Imperatores hostibus Romanorum suppeditarunt Numantini, (*Freinsb. d. l. 12. cap. 37.*) sed & ut modo recensuimus, Romanorum magnum numerum trucidarunt.

§. X. Sed ponamus, non adeo iustam fuisse causam ex parte Sedigensium, iniuste etiam fecisse Numantinos. Pacem tamen mox petebant æquis conditionibus. Utrum igitur ex iusto iis responsum fuit a Romanis: Pacem non nisi deditis dari posse? Ex iusto, inquam. Et si enim Freinshemius hic afferat, ex dignitate Romani nominis ita responsum fuisse, hoc tamen iudicium Freinshemii magis ad decorum pertinet, quam ad iustum, & de decoro, quod est alterius disciplinæ, hic non sumus solliciti. Non poterimus vero commode ad quæstionem propositam respondere, nisi naturam deditiois paulo distinctius, brevibus tamen, perspexerimus.

§. XI. Est autem vocabulum deditiois ambiguum. Aut enim per eam intelligitur actus, quo civitas, sub qua degit is, qui culpæ in extraneum reus est, permittit illum arbitrio læsi interpellantis; *Grot. II. 21. 4. 1.* Aut intelligitur actus, quo populus vel pars populi in arbitrium potentioris se & sua transfert. Priorem posses passivam appellare, quoniam regulariter fit in nolentes & repugnantes: Posteriores activam, quia ipsi, qui deduntur, hoc modo in deditioem consentiunt, et si



Et si consensus hic non semper fit liberrimus, sed plerumque per necessitatem aliquam extrinsecam eliciatur. De passiva infra suo loco videbimus. Ad præsentem quaestionem activa pertinet.

§. XII Hanc Grotius *III. 20. §. 49. 51.* subdividit in puram & conditionatam. Illam vocat, cum quis ipsi hosti de se arbitrium permittit, ac ita se subditum facit ei, cui se dedit, ac in illum summam potestatem transfert, omnia dedito jure saltem externo eripiendi, etiam vitam & libertatem personalem. Conditionatam appellat, quæ aut singulis consulat; ut in qua vita salva, aut corporum libertas, aut & quædam bona excipiantur; aut etiam universitati, si videlicet quædam particulæ libertatis civilis retineantur. Sed hic profecto vereor, ut Grotius exemplum deditiois conditionatæ, quæ libertatis civilis aliquam particulam deditis retinuerit, possit allegare, cum fere perpetuo per deditioem minimum libertas civilis amittatur. Deinde nescio, an Grotius deditioem puram bene descripserit, quasi jure externo liceat ejusmodi deditis, qui summum imperium in nos transferunt, vitam pro lubitu adimere. Sane mera subiectio, aut summum imperium etiam nunquam hanc potestatem tribuit. Imo ipse Grotius, quod ad deditioem puram refert hic *III. 20. 49.* exemplum Carthaginensium, alibi *II. 25. 7. 2.* inter conditionatas recensere videtur. Adeoque videtur Grotius in descriptione deditiois puræ duo genera diversissima miscuisse.

§. XIII. Scilicet deditio fit vel illi, cum quo nulla intercedit hostilitas, vel hosti. Hostem hic voco, adversus quem jam bellum exarsit, vel cui certe ex more pristino bellum est denunciatum. Primum deditiois genus fit plerumque impellente majore quodam malo, quod per deditioem repellere studemus: ut si populus timeat, ne subjiciatur hosti barbaro, si fames premat, &c. Sed per hanc regulariter dediti fiunt saltem subditi. Huc refero alium locum Grotii *lib. II. c. 5. §. 31.* *Publica subiectio est, qua se populus homini alicui, aut pluribus hominibus, aut etiam populo alteri in ditionem dat. Formulam talis subiectiois in exemplo Capue supra adduximus. Similis est illa populi Collatini: Deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, delubra, utensilia divina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio. Quo alludens Plautus *Amphitruone* ait: Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem & liberos In ditionem atque arbitratum cuncti Thebano populo.*

B

Perse



*Perse* vocabant hoc aquam & terram dedere. Sed hæc perfecta subjectio est Recte. Atqui perfecta subjectio, quantacunque sit, ut ex doctrina de constitutione Rerumpublicarum notum est, nunquam tribuit Principi potestatem subditos pro lubitu interficiendi, sed, si vel maxime effectum irregularem eidem vellem adscribere, producit saltem imperium despoticum. Unde non opus est hic conditionem apponere, & per eam vitam sibi & libertatem personalem reservare. Sed etiamsi illa pure facta sit, hæc reservatio jam tacite inest.

§. XIV. Alia ratio est deditionis illius, quæ hosti fit. Nam in hac admittere possumus effectus, quos Grotius deditioni puræ adscribit, & de quibus subinde loquuntur Scriptores Romani. Ita Livius l. 3. c. 8. *Ubi omnia ei, qui armis plus potest, dedita sunt, quæ ex iis habere victor, quibus multari eos velit, ipsius jus atque arbitrium est.* Ita Polybius Excerpt. legat. 142. *Qui se dedunt in Romanorum potestatem, ii dant primum regionem, quæ ipsorum fuit, & quæ in ea regione sunt urbes: viros præterea omnes ac feminas, qui aut in regione aut in urbibus sunt. Insuper flumina omnia, portus, sacra religiosa universim omnia, ita ut omnium Domini sint Romani, ipsi autem, qui se dediderunt, plane rei nullius.* Confer Grotium III. 8. 4. ibi in notis; item III. 20. 50. Hinc & dediti jure belli interficiebantur, ut a Romanis Pomeriæ principes, a Sulla Samnites, a Cæsare Numides, & ipse Vercingetorix. Imo mos hic ferme perpetuus Romanorum in hostium duces, sive captos, sive deditos, ut triumphi die occiderentur, quemadmodum Cicero nos docet *quinta Verrinis*; Livius tum alibi, tum libr. 28. Tacitus *Annal. XII.* & alii multi. Grotius III. 4. 12. Multo minus ergo mirandum est, quod deditorum urbes diruerat, aut incendiis consumptæ legantur. Grotius III. 5. 1. *Quid quod supplices, h. e. illi, qui se dedere voluerunt, non semper recepti sunt, sed victores sæpius deditionem aspernati sunt; ut belli potius jure cadent dediti.* Tacitus *Annal. XII.* Grotius III. 4. 11. *Romani deditionem acceptabant, antequam murum aries percussisset.* Unde Cæsar lib. 2. *de bello Gallico*, Aduaticis denunciat, se eorum civitatem conservaturum, si priusquam aries murum attigisset, se dedidissent, qui mos, addit Grotius III. 11. 14. nunc quoque obtinet in locis infirmis, antequam machinæ igniaræ explodantur; in munitioribus, antequam in moenia fiat impetus.

§. XV. Quæ autem hoc loco de jure belli, & ejus licentia occasione deditorum dicta sunt, intelligi debent de licentia imperfecta, seu jure

jure



jure belli externo. Nam quoad jus internum, quod securitatem parit in conscientia, vel ipsorummet Romanorum Scriptorum judicio, facta hæc Romanorum erga deditos pro injustis sunt habenda. Salustius *Historia Jugurthina*, cum puberes post deditionem interfectos narrasset, factum id ait contra jus belli, id est, contra naturam æqui & mores mitius viventium. Livius *lib. 45.* contra jus & fas esse putat, si quis deditis bellum intulisset. Tacitus *XII. Annal.* trucidare deditos sævum esse judicat. Lucanus:

- - - Vincat, quicumque necesse

*Non putat invictos sævum diffringere ferrum.*

Cicero, non tam, quid fiat, quam quid natura æquius sit respiciens, sic de recipiendis supplicibus pronunciat *Offic. 1.* Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi. Confer Grotium *III. II. §. 13. 14. 15. 16.*

§. XVI, Cum ergo ex dictis abunde appareat, quam iniquos sæpius se gesserint Romani circa deditos in bello, facile prævidebant Numantini, quid expectandum ipsis esset, si pacem per deditionem emere vellent. Neque enim credo, pro Romanis hic afferri poterit, quod deditionem ideo postulaverint, ut eo evidentius clementiam suam erga Numantinos declarare possent, si jure belli externo adversus ipsos non uterentur. Ita Cæsar Octavius apud Appianum, L. Antonium, qui se deditum venerat, alloquens, *Si ad fœdera,* ait, *paciscenda venis- ses, sensisses me & victorem & injuria affectum. Nunc cum te, & amicos, & exercitum arbitrio nostro permittis, demis mibi iram, demis & eam potestatem, quam in fœdere coactus esses concedere. Nam eum eo, quod vos dignum est pati, simul jam & alterum spectandum est, quid me facere par sit, atque hoc præferam. Rarum hoc clementiæ Romanæ exemplum, & non nisi erga concivem usurpatum. Erga exteros etiam initio bellorum, rigore nimio utebantur. Nobilis est apud Polybium & Livium historia de Phanæa Ætolorum legato, qui in Oratione ad Manium Consulem eo prolapsus est, ut diceret: *Ætolos se suaque fidei populi Romani permittere.* Cumque percunctanti Consuli iterum id affirmasset, postulasse Consulem, ut quidam belli incentores sibi sine mora dederentur. Cum Phaneas excepisset: Non in servitutem, sed in fidem tuam nos tradimus, & quod imperaretur, non esse moris Græcorum, respondisse Consulem, nihil se curare, quid Græci esset moris, se more Romano imperium habere in deditos suo decreto, & catenis vinciri*



legatos iussisse. In Græco est: *περὶ τῆς δέοντος, καὶ καθήκουστος ποιῆσαι λόγον δεικνότες ἑαυτὰς εἰς τὴν πίσιν.* De officio & decoro hic disputatis, cum iam vos fidei nostræ permiseritis. Confer Grotium III. 20. 50.

§. XVII. Et profecto impudens nimis postulatum Romanorum erat. Victoriā deportaverant Numantini. In media fortuna de pace cogitabant, eamque æquis conditionibus a victis quærebant ipsi victores. Quid æquitati naturali & fini bellorum convenientius esse poterat? Demus Romanis, meritos fuisse Numantinos atque Sedigeneses, ut non in *æquale* fœdus reciperentur, quod sæpe sub *æqui* nomine apud Scriptores Latinos venit, sed ut ab ipsis aliquid postularetur, quod inæqualitatis notam inferret, non tamen propterea deditio postulanda erat, & bellica quidem, quæ licentiam daret ipsis de vita atque fortunis deditorum pro lubitu statuendi. An unquam arrogantius quid auditum est? Vix manus Numantinorum evaserant. Victor pacem petit, neque indignum aliquid Romano nomini postulat. Victi, qui rebus sic stantibus ne quidem subjectionem victoris & imperium in eundem honeste prætendere poterant, jus vitæ & necis liberum ac absolutum postulant. Neque enim Numantini erant imbelles aut ejusmodi hostes, qui contemptum Romanorum merebantur. Quippe *Numantia, quantum Carthagini, Capua, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honore par omnibus, summumque, si vires æstimes, Hispaniæ decus.* Quippe quæ sine muro, sine turribus modice edito in tumulo sita quatuor millibus quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit, nec sustinuit modo, sed sævius aliquanto perculit, pudendis que fœderibus affecit. Ita Florus laudes ejus effert l. 2. c. 18. p. m. 82.

§. XVIII. Post hoc postulatum variam fortunam inter se Romani & Numantini experti sunt, donec, nescio quorum ex culpa, bellum iterum exarsit. Quæ enim hæc parte a Freinshemio hinc inde recensentur, non adeo firmiter cohærent. Confer interim ejus *libr. 13. c. 4. 5. 12. 13. & 18. lib. 18. c. 9. & 36. lib. 19. c. 1.* Sed Q. Pompejus Consul in Hispaniam mittitur cum exercitu, genere numeroque cuilibet bello pari. Territi adeo tanto belli apparatu Arvacci legatis ad Consulem missis eas in conditiones fœdus imperaverunt, ut certa die utramque urbem *Termestin Numantinamque in fidem populi Romani dederent, obsides trecentos, saga novem millia, coriæ tria millia, equos bellatores octingentos, arma omnia traderent: hæc uti fecissent, socii ac amici haberentur.* Cum dies venisset, cætera quidem prompte alacriterque sunt facticata. ubi ad arma tradenda ventum, inter homines bellicosos virilis fremitus oriri,

oriri,



Oriri, animique a turpitudine præfenti ad præfintæ libertatis decus pudore accendi. Igitur fele mutuo refpicientes interrogabant: *Idne facinoris fubire vivi poffent, ut arma vivis detrahi patiantur?* Neque virorum modo hi queftus erant, pueri quoque atque mulieres negabant, *fibi pro patribus aut maritis futuros, qui tantum dedecoris adivifent.* Itaque confenfu retentis armis, *vitam potius, quam hæc omiffuros effe confirmarunt.* Hæc ex Freinshemio d. l. 19. c. 2. Pauciffimis ea reculit Florus d. l. 2. c. 18. Numantini cum fe ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi fœderis pretium juffi arma deponere. Hoc fic a barbaris acceptum, *quafi manus abfcinderentur.*

§. XIX. Pacis formula, uti eam ex Freinshemio recenfuimus, deditioem continet bellicam quidem, fed non puram, & quæ Romanis laxum arbitrium circa vitam & bona deditorum concederet, verum conditionatam, ut videlicet præftitis præftandis *focii ac amici Romanorum haberentur.* Quo pacto ifta deditioem ne quidem fumum imperium in Romanos fuiffet translatum, qualis deditioem exemplum fupra defideravimus §. 12. Si enim fumum imperium debuiffet per hanc formulam in Romanos transferri, non potuiffent pro fociis eorum & amicis haberi, quoniam implicat effe focium & fimul fubditum. Sed mallem, Freinshemius hic autorem allegaffet, unde fupplementum haufit. Nefcio enim, quid opus fuiffet, *dedere Termefthin urbem & Numantinam,* fi Numantini debuiffent focii & amici Romanorum manere. Nifi forte ea, quæ de fociis & amicis adjecta funt, reliquos Hifpaniæ populos fpectare, velis dicere, Numantinis in fubjectionem traditis, quo pacto tamen mirandum foret, quod de Numantinorum diffenfu quoad iftud fœderis caput nihil ibidem legatur.

§. XX. At quomodo Florus rem geftam effe narrat, ut Numantini in legitimi fœderis pretium juffi fint arma deponere, id quidem deditioem poftulatam a Numantinis effe non infero, quoniam, ut fupra dixi, vix concipere licet deditioem absque fubjectione, cum fubjectis vero legitimum fœdus effe non potefit. Diffentire videtur Rupertus, qui in *obfervat. ad Flor. d. l. p. m. 432.* Notabis, inquit, *depositionem armorum fuiffe deditioem fignum,* de qua plura Freinshemius ad Curtium lib. 7. c. 4. §. 38. Aft apud Freinshemium hæc faltem deprehendo. Dum Curtius refert *Arios Erigyio duci Alexandri arma tradidiffe,* fubjungit Freinshemius; *quo deditioem non fignum modo, fed pignus.* Idem aliquoties reperias apud Livium, ut 29. 3. tradentibusque arma & dedentibus fele. 40. 41. in deditioemque venerunt, armaque tradiderunt. 40. 16.



per deditioem Ligures recipi, & receptis arma adimi. Intellexit ista Rupertus, quæ Freinshemius ab eo, quod plerumque fieri solet, notaverat, quasi in univ ersum procederent, & absque exceptione, cuna tamen nullus dubitem, plura extare exempla deditiois absque traditione armorum factæ, & rursus traditionis armorum absque deditioe. Certe non ita convenienter hanc observationem a Ruperto ad præsentem Flori locum fuisse accommodatam opinor.

§. XXI. Quod si ulterius Florum sequare, laudem merentur Numantini, quod iniquam istam conditionem a Romanis oblatam acceptare noluerint, id enim videntur innuere verba Flori §. 18. adducta. Nam profecto in eo nihil barbarum deprehendis, quod *Barbari depositionem armorum sic acceperint, ac si manus abscinderentur*. Fortitudinis & magnanimitatis istud indicium est. Eadem virtus Cleanoris Arædis apud Xenophontem *libr. 2. de expeditione Cyri p. 273.* Cum Artakerxes occiso Cyro tanquam victor a Græcis arma peteret: *ὅτι πρότερον αὐτὸν ἀπὸ δεινότητος, ἢ τὰ ὄπληα παραδοῖεν, μορὶ σὲ μᾶλλον, quam arma tradere dicebat.* Rupertus *ad d. Fl. loc.* Et sic Romani conditiones cum Pompejo & Mancino pactas, ut mox videbimus, sibi dedecori esse putarunt, quæ tantam ignominiam non continebant, qualis habebatur olim armorum depositio, vitio vertere Numantinis hujus conditionis rejectionem non debebant.

§. XXII. Sed si Freinshemio fides habenda, Numantinorum causa hac parte justitia destituitur. Prout enim ipse refert, conditiones istas pacis acceptaverant jam Numantini, & foedus adeo vel sponsio consummata erat. In executione demum & præstatione rei promissæ poenituit. Injuste profecto, cum pacta sint servanda, & inter hostes exceptio quod metus causa locum non inveniat. Tanti interest unam circumstantiam rerum gestarum mutari. Sic facinus reputabant, paci, ut vivis arma detrahantur, longe majus facinus esse debebant recordari, si promissorum sanctitas violaretur. Aderat illa turpitude jam tempore sponsionis. Quæ vero ipsos non retinuit a celebratione foederis, ea nec causam ipsis suppeditare poterat denegandi adimplementi. Coercendæ fuissent justa autoritate uxores & filii, foedifragos malentes pro maritis ac patribus agnoscere, quam armis privatos. Et si arma vitæ præferebant, arma potius, quam fidem amittere debebant.

§. XXIII.



§. XXIII. Pergit Florus d. c. 18. Itaque statim Megara, Viro fortissimo duce ad arma conversi, Pompejum praelio aggressi fœdus tamen mauerunt, cum debellare potuissent. Fusioem Freinshemii narrationem in summam contrahemus. Postquam Pompejus Numantiam & deinde Termantiam frustra obsedisset (Freinshem, l. 19. c. 3. § 26.) atque novo accepto exercitu clades multas passus fuisset (id. ibid. c. 27.) metueretque successorem, clam ad Numantinos misit, qui ad pacem petendam eos hortarentur, æquissimarum conditionum spe ostensa, qui & ipsi, quanquam debellare Pompejum facile videretur, tamen multos alios duces exercitusque Romanis superesse putantes, cupide, quod offerretur, acceperunt. Missis deinde Legatis, cum pro concione Confutrespondisset, non alia se digna majestate Populi Romani fœdera nosse, quam ut in jus potestatemque ejus se suaque omnia Numantini dedant; secreto cum iis, quid esset acturus, composuit. Summa colloquii quæ fuerit, res ipsæ docuere. Captivos perfugasque reddiderunt Numantini, miseruntque obsides. Pacta erant & talenta triginta argenti, eorum repræsentata pars est, partis in diem dilata solutio (Ibid. c. 28.) Successore vero Pompeji novo Consule adventante, Pompejus metu belli jam exsolutus, cum reliquam Numantini pecuniam offerrent, negat sibi quicquam de pace conventum. Iphis contra DEos hominesque testes invocantibus Consul Romam ipsos ire jussit coram Senatu cum Pompejo disceptaturos. (ib. c. 29.) Cumque ibidem a Legatis Numantinorum multis argumentis convinceretur, homo callide improbus ad extremum pernegavit. Sed ferebatur nihilominus ad populum, ut ad expiandum quicquid iis pactis contractum religionis publicæ esset, auctor eorum hostibus dederetur. Tum Pompejus blanditiis & infimis precibus perpulit plebem, ut non acciperetur lex, sed Pompejus pro infante dimitteretur, Numantinisque responsum est: Fœdus a Pompejo factum non videri. (ibid. c. 34.)

§. XXIV. Pompejum hunc magni nominis virum appellat Vellejus II. l. 4. Sed vereor, ut hunc titulum ipse sit meritus, si facta ejus perlustres. Sane non diffitendum, quod primus e gente Pompeja summos honores Consulatus nulla commendatione majorum affectus fuerit. At fraudulenter hic egit & Scipionem Lælio suffragantem astute fefellit, quare & hujus amicitia excidit. Interrogatus enim, an petere Consulatum constituisset, negavit ultroque Lælio opem suam gratiamque ad petendum obtulit. Interea ipse profectus in forum ambire

ambire



ambire strenue cœpiit. Id cum expectantibus eum esset renunciatum, cæterique stomacharentur; nos vero ineptos, inquit Africanus, qui, tanquam non homines, sed DEOS essemus precaturi, sedemus, tibi cinem expectantes. Nam mater Pompeii indecora fama laborabat, tanquam tibi-cini corpus prostituisse. *Freinsbem. l. 18. c. 35.* Post depositum etiam officium repetundarum postulatus est. Ac etsi Clarissimorum virorum testimoniis premeretur, plus tamen gratia Pompeji, quam fides autoritasque summorum virorum valuit. *Freinsbem. l. 19. c. 35.* In ipso vero bello Numantino & foedere, vel, si mavis, sponsione magnum nomen haud quaquam consecutus est.

§. XXV. Turpissimum hoc foedus appellat Vellejus II. 1. 4. Alibi vero foedus Pompeji turpe dicit, Mancini turpius II. 90. 3. Orosius V. 4. p. m. 363. æque infame vocat ut Mancini. Rationem denominationis non video, nec vidit credo Florus, qui in laudem Numantinorum: *Fœdus*, ait, *maluerunt, cum debellare potuissent.* Ex regulis videlicet prudentiæ & æquitatis. Nam etsi Pompejus facile debellari potuisset, nota tamen erat Numantinis Romanorum potentia, nec ab unius exercitus clade pendere illorum exitum, sed multos alios duces exercitusque Romanis superesse. Adhæc bello fessi erant, multis fortissimis civibus amissis & ad magnam annonæ difficultatem redacti, quod ager tam diu coli non potuerat. *Freinsbem. l. 19. c. 28. Jac. Zevecotius ad Florum II. 18. p. 326.* Conditiones autem foederis, ut ex Freinshemio recensuimus §. 23. erant æquissimæ. Unde graviter Zevecotius d. l. *Summa conditionum æquitas maximæ iniquitatis Romanos accusat. Sed raro ulla foederum aut pacis apud eos religio est, quos non nisi inexplebilis regnandi libido ad bellandum accendit. Omnes ideo, quibus cum talibus negotium est, non in pactis, sed in armis spem habere oportet. Si possint debellare adversarios, non differant sed animose id agant. Parcere enim perfidis & post acceptum beneficium non minus, quam ante nocituris dementiæ est. Legi aliquando in fabulis capto a se angui pepercisse agricolam, quem stultæ istius clementiæ brevi post, serio, sed sero pœnituit, cum duos, quos habebat, filios extulit, ab ingrato animali occisos.* Nihil est, quod hic notemus, nisi quod paululum inconvenienter hic observaverit Zevecotius de extirpando hoste perfido, & Numantinos satis distincte dementiæ accusaverit, quos tamen paulo ante nobiscum ob prudentiam hac parte commissam commendaverat. Ob conditiones igitur foederis, non est, ut id Vellejus vel Orosius pro turpi aut infami habeant.



beant. Equidem, ut Orosius scribit *V. 4. p. 361.* Pompejus fines Numantinorum ingressus accepta maxima clade discescit, non solum exercitu pene omni profligato, verum etiam plurimis Nobilium, qui ei Militiæ aderant, interemtis. Ergo bellum hoc Pompeji nomen *infamis* aut turpis mereri poterat, foedus autem ob istam cladem non nisi per tropum longius quæsitum haud posse videtur.

§. XXVI. Quantum vero improbitatis specimen edidit Pompejus inficiando sponsionem cum Numantinis initam. Pessime ob hoc factum audit Ciceroni, qui *II. de Finib. c. 16. p. m. 1012.* *Non de improbo, ait, sed de callide improbo quærimus, qualis Q. Pompejus in fœdere Numantino inficiando fuit.* Descripserat autem paulo callide improbum, quod non sit timidus, aut imbecillis, ut bonus vir, qui, quicquid fecerit, ipse se cruciet, omniaque formidet, sed qui omnia callide referret ad utilitatem, acutus sit ac versutus, veterator item, facile ut excogitet, quomodo occulte sine teste, sine ullo conscio fallat. Certe non melius hujus definitionis exemplum Cicero adducere potuisset, quam istud Pompeji facinus. Callide Numantinos ad pacem petendam clam hortabatur, æquasque condiciones iis offerri curabat. Astute postea cum pro concione alia omnia simulasset, secreto condiciones pacis cum ipsis composuit, haud dubie Numantinis persuadens, quasi hæc omnia non ex alia ratione fecisset, quam ut se ab omni collusionis suspicione liberum redderet, & verbis saltem dignitatem Romani nominis tueretur, cum tamen non alia ex causa eventu id docente hoc perpetraverit, quam ut eo melius pacem factam negare posset. Versute porro dimidiam partem pactorum triginta talentorum anticipaverat dolum furto proximum cum perfidia cumulans. Denique maximus veterator, non solum coram successore negotium coram senatoribus quibusdam equitumque perfectis ac tribunis militum ad quorum testimonia Numantini provocabant, peractum inficiabat, sed & coram Senatu Populoque Romano evidentissimis argumentis convictus, ne conteslus dici posset, in ista impudentissima inficiatione perseverabat.

§. XXVII. Sed, inquit Freinshemius *l. 19. c. 34. plus adhuc apud bonos turpitudine notissimi delicti, quam infitiandi impudentia valebat,* ut adeo ad populum fuerit latum de deditione Pompeji pro expiatione religionis publicæ. Sed & hic tamen quædam momenta sunt excutienda. Non obligabatur Populus Romanus, ut pacis condiciones inter Pompejum & Numantinos conventas servaret, quia non foedus erat,  
C
sed



sed sponsio. *Vid. Dn. Præsidentem Dissert. de Sponstone Caudin. §. 51.* Sed si conditiones istas adimplere nollet, non sufficebat dedere sponforem, verum insuper æquitas naturalis suadebat, ut nullam utilitatem ex istis conventionis articulis sentirent, per ea, quæ deduxit *idem ibid. §. 82.* At supra §. 23. ex Freinshemio retulimus a Numantinis ad adimplendas sponsonis conditiones captivos & transfugas Romanis fuisse redditos, & quindecim argenti talenta Pompejo fuisse persoluta. Et illi, si expiare se ab omni crimine voluissent Romani, Numantinis erant reddendi, & Pompejus adigendus, ut ex bonis suis quindecim illa talenta Numantinis restitueret.

§. XXVIII. Sed ne deditio quidem Pompeji a populo permissa fuit. Quin potius incuriosum publici decoris vulgus vilitate blanditiarum a Pompejo adhibitarum se decipi passus est, ut potius unius improbi hominis, quam communis civitatis misericordia tangeretur, illiusque vitam, quam dignitatem Reipublicæ salvam esse mallet. *Pompejum gratia impunitum habuit* fatetur Vellejus II. 1. 4. Tantum mali patrare gratia potest, quoties arbitris iis, qui naturam utriusque juxta nesciunt, cum justitia committit. *Freinshem. l. 19. c. 39.* Ipse Cicero dum hanc Pompeji liberationem refert *l. 3. offic. p. m. 556.* exclamat: *Hic ea quæ videbatur utilitas, plus valuit, quam honestas.*

§. XXIX. Cognita autem Senatus voluntate de rescissa Pompeji sponsonis M. Pompilius ProCos. bellum Numantinum resumerat. Rebus autem ab hoc infeliciter gestis, & variis prodigiis tristes eventus significantibus, C. Hostilio Mancino istud bellum demandatur, qui & ipse malis ominibus contra Numant. profectus non meliores successus habuit. (*Freinsh. l. 20. c. 8. 9. 10.*) Quin imo assiduis velitationibus, omnia nequidquam expertus, cum perpetuo superiores Numantini essent, noctu relinquere castra decrevit. Sed mirabilis casus Numantinis profectioem prodidit. Tempus erat anni, per quod more Numantino puellæ nubiles elocabantur. Ambibant unius formosæ nuptias duo genere ac virtute pares. Eos ut contentionibus, se molestia exsolveret virginis pater, eum sibi generum fore dixit, qui dextram hostis prior retulisset. Geminato instinctu accensi juvenes silentio versus castra Romana procedunt, solitudineque ibidem detecta rem ad suos referunt. (*Id. c. 13.*) Igitur Numantini quatuor millibus hominum Consulem Romanum triginta millia militum ducentem adoriuntur, eorumque magnum numerum trucidant, reliquumque exercitum ita conclu-

conclu-



concludunt locorum angustiis, ut exercitus alia ratione servari non posset, nisi Consul in leges hostium foedera ferire vellet. (*Ibid. c. 14.*) De conditionibus cum per alios tractaret Mancinus, negarunt Numantini, nisi Tiberio Graccho fidem habituros. Gracchus igitur ad hostes profectus, cum in praesentia nihil obtineri melius posset, pepigit, ut æquis legibus populo Romano Numantinoque foedus ac amicitia esset (*Ibid. c. 15.*) Præterea cum inter ferendas conditiones a Numantinis commemoratum esset, quod prius foedus Pompejanum sibi servatum non foret, eo se parem hujus quoque negotii eventum metuere, convenit, ut Consul jurejurando, Quæstor Gracchus & cæterorum honestissimus quisque sponsione se adstringerent, mansura quæ pepigissent. Ita Numantini dimissis Romanis castra diripiunt. (*ibid. c. 16.*) Florus autem *dicto cap. 18. lib. 2.* rem succincte sic narrat: *Hostilium deinde Mancinum aggressi sunt. Hunc quoque assiduis cadibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret. Tamen cum hoc quoque foedus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad internecionem se vivere potuissent.*

§. XXX. Hostilius Mancinus, de quo jam pluribus acturi sumus, qualibus moribus præditus fuerit, paulisper dispiciemus. *Virum non malum, sed omnium Romanorum Ducum infortunatissimum eum vocat, Plutarchus in vita Tib. Gracchi f. m. 863.* Sed profecto minus laudabile est, quod de Hostilio Mancino refert Gellius, vel, si mavis, Agellius [neque enim literulæ gratia litem inchoabimus] *Noct. Attic. l. 4. c. 14. A. Hostilius Mancinus, ait, Ædilis Curulis fuit. Is Manilia meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset; vulnusque ex lapide ostendebat. Manialia ad tribunos plebis provocavit. Apud eos dixit, commessatorem Mancinum ad ædes suas venisse, eum sibi fas recipere non fuisse in æde sua. Sed cum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt: Ædilem ex eo loco jure dejectum, quo eum venire cum coronario non decuisset; propterea ne eam populo ædilis ageret, intercesserunt.*

§. XXXI. Notabili hoc factum est Juris Cultoribus. Quippe ex eo triplicem quæstionem in exercitium studii legalis proponit Philipp. Caroli in *animadvers. ad Gell. d. l. Primum: An jure Manilia Ædilem ab æde sua depulerit, cum fuerit meretrix?* Quod genus hominum Romæ publicum erat. Quo alludens Plautus in *Trucul. Act. I. sc. 5. v. 49. ita loqui facit amatores:*



*Hic nos habemus publicum. Illi alibi sunt publicani,*  
 ut scite emendat Acidalius. Ab hac re Seneca *Epist. 88.* Sapphonem  
*publicam* dicebat, & Tertullianus *publicarum libidinum victimas atque*  
*hostias* appellat, easque *populi esse* Martialis ait. Et ob id *vulgares* *fæ-*  
*mine*, quæque venalem formam exhibeant, ab auctoribus juris censentur.  
 Alterum est, *cur non dubitavit ædilis isti mulieri diem ad populum*  
*dicere?* cum non nesciret le teneri lege *Cornei. de injuriis per. l. 5. pr.*  
*ff. h. t.* aut, si nondum lata lex erat, non tamen ignorabat, domum suam  
 cuique tutissimum debere refugium esse. Tertio, *cur ad causæ dictio-*  
*nem admissa sit meretrix*, quæ hominum natio, cum edicto Prætoris in-  
 famis sit, tantamque civitati labem inferat, indigna censetur juris & le-  
 gum auxilio. Unde silentio præteriri non debeat *Q. Metelli* iudicium,  
 qui in prætura urbana *Vethilio Lenoni* bonorum possessionem secun-  
 dum tabulas denegavit, separandam fori & lupanaris conditionem  
 existimans, ut est ap. *Valer. l. 7. c. 7.* Sed ipsi tamen *Philippo Caroli* vide-  
 tur merito depulsus a fornice ædilis magistratum gerens, honorem  
 gravissimum, quemque in loco infami conspici nefas erat, cum ad  
 ipsum pertinuerit de stuprorum licentia, quam mulieres profiteban-  
 tur, decernere. Descendere igitur absque nota censoria non pote-  
 rat. Sed nec illud gravitatem decebat ædilitiam, quod commessaban-  
 dus & cum coronario, qui ebriorum habitus erat, fornices & inscri-  
 ptas cellas, eaque loca adiisset, in quibus honos non colitur, aut virtus.  
 Cujusmodi personas nefas sit alibi conspici, quam in *Curia*.

§. XXXII. Adversus hæc a *Philippo Caroli* proposita varia ur-  
 geri possunt. Nam quæstiones ipsæ non cohærent, sed una fere alte-  
 ram tollit. Etenim si *Manilia* tanquam meretrix *Mancinum* non po-  
 tuit ab æde depellere, quorsum inclinat prima *Caroli* quæstio, frustra  
 pro ratione dubitandi in secunda affertur, quod *Mancinus* injuria affe-  
 cerit meretricem, dum in ædes per violentiam voluit intrare, cum is,  
 qui jure suo utitur, nemini faciat injuriam. Deinde si injuriam passa  
 est *Mamilia* a *Mancino*, si leges Romanæ de tutissimo domus refugio ad  
 meretricem applicandæ sunt, ut est in quæstione secunda, minus apte  
 in tertia dicitur, quod meretrix indigna sit censenda legum & juris  
 auxilio. Denique & ratio decisionis, quam *Caroli* suppeditat, obscu-  
 rior est, & non adeo fortiter constringens. Meretricem ideo jure re-  
 pulisse *Mancinum*, quia *Mancinus* contra decus & pudorem ac gravi-  
 tatem in lupanar descenderit, & quidem cum coronario. Nam si *Man-*  
 cinus



cius hic peccavit aliquid, non in meretricem peccavit, sed in populum Romanum, & ut ipse Caroli notat, notam censoriam meruit. At populus Romanus vindictam læsi decoris non concessit Mamilia. Ergo præterquam si accurate hanc controversiam definire vellemus, ante omnia inquirendum foret, annon & in eo hallucinatus fuerit Philippus Caroli, quod putaverit, Mancinum a lupanari fuisse repulsum. Gellius tabulati meminit & ædium. Neque credo, meretrices, & quæ publice faciebant questum, perpetuo in cellis, fornicibus, seu lupanaribus mansisse, sed aliquando concessisse in ædes proprias, atque ita quievisse aliquantulum ab opere sordido & obsceno. Verum cum ista distinctius inquirere jam non vacet, brevibus saltem & una fidelia quæstiones a Carolo propositas definiemus.

§. XXXIII. Et quidem ex principiis actionis injuriarum id commodissime fieri poterit. Videtur enim istam actionem adversus Mamiliam instituisse Mancinus, vulnus populo ostendendo, & factum Mamilia exaggerando, tanquam re & persona atrox sit injuria, quæ facta sit magistratui populi Romani. Non se læsum duntaxat, sed & Rempublicam, quam sustineret. Denique ex facientis vilitate & indignitate injuriam & contumeliam crescere. Adversus ista excipere poterat Mamilia, actionem non competere Mancino. Nam ut quæ meretricia veste, non matronali habitu vestita est, [leges, inquit Tertullianus, a matronis & matronalibus ornamentis meretrices coercerant,] si quis eam appellaverit [ut Thamarem Judas] aut ab ea comitem abduxerit, vix habet actionem, l. 15. §. 15. de injur. ita magistratus, qui cum potestate & imperio est, si pro fascibus, cum serto & coronis ibi inveniatur, unde alios arcere & prohibere debuisset, ei si injuria fiat, de se potius, quam de alio queri oportere. Imo hoc ipso delinquere. Nam recte Seneca: *Licet ire in lupanar, si tamen præcedentibus Fascibus Prætor eo deduceretur, majestatem læderet.* Demetrius reprehensus est, qui armatus & cum diademate ad Lamiam venisset. Hoc plane est, quod a Platone dicitur. Custodem non decere mimum, imitatoreque esse. Et eo exemplo Concilio Lateranensi, qui pulsaverit Clericum nutriendum comam, non obnoxius est censuris. Cur, (ut de Quintio Cincinnato) minime suspiciendi magistratus idoneus erit, qui togam non induisset? Ea abjecta habebitur pro magistratu? Postremo vim etiam cadere in meretricem. Itaque licuisse Mamilia vim vi repellere. Nam etsi quis palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locavisset:



visset: quanquam famosus aut lupisciosus sit, vim tamen in corpus liberum afferti iniquum esse veteres censuerunt, ut ex Catone Nonius scribit: *Vide omnino P. Ærod. Pandect. Rer. Judic. lib. 16. tit. 5. c. 8. p. m. 313.*

§. XXXIV. Hostilius hic Mancinus, de quo ex Gellio retulimus, an idem cum Mancino Numantino sit, an alius, incertum esse ait Joh. Glandropius *Onomast. Rom. p. m. 409.* Sane Florus saltem *Hostilium Mancinum* appellat eum, qui Sponsionem cum Numantinis inivit. *vide §. 29.* Unde conjecturam de diversitate sumere non poteris, etiamsi Gellius suum appellet *A. Hostilium Mancinum*, *vid. §. 30.* nisi quod Numantinum supra *d. §. 29.* cum Freinshemio nominaverimus *C. Hostilium Mancinum*, quod Caji prænomen Freinshemius forte a Plutarcho hausit, qui nostrum simpliciter appellat *C. Mancinum d. f. 863. in vita Tiberii Gracchi*, cui ex Floro *Hostilii nomen* apposuit Freinshemius, ut adeo nullum sit dubium nostrum a Mancino Gellii esse diversissimum. Et forte Gellii Mancinus idem est cum *A. Hostilio Mancino* Prætore anno Urb. cond. 573. & post decennium Consule, cujus ex Livii *libr. 44.* meminit ipse Glandorpius *d. l. p. 408.* Quod vero Glandorpius nostrum cum Gelliano miscuerit, causa est, quod Gellianum etiam *C. Hostilium Mancinum* fuisse dictum arbitratus sit, quod tamen verbis Gellii est adversum.

§. XXXV. Notabile tamen est, quod cum per alios pacis conditiones tractaret cum Numantinis Mancinus, hi nisi Tiberio Graccho fidem habere nollent, *vid. supra §. 29.* quod indicio esse posset, Mancinum a Numantinis pro homine sublestæ fidei, & forte non sine ratione fuisse habitum. Sed dubium tollit Plutarchus *d. f. 863.* indicans, id a Numantinis factum esse magis ex diffidentia erga Romanos, qui foedus cum Pompejo ictum non servaverant, & ex fiducia in virtutem Tiberii Gracchi, cujus nobilis erat apud ipsos etiam fama & recolebant prætera memoriam Patris Tiberii, qui bellum adversus Hispanos gerens, multis devictis cum Numantinis foedus icerat, utque id populus inviolatum servaret, semper effecerat. Et singulari virtute præditum fuisse Tiberium Gracchum, vel id indicio esse potest, quod post sponsionem contigit, referente eodem Plutarcho *d. l.* Postquam Numantini castra diripuerant, erant inter prædam etiam Tabulæ, quibus Quæsturæ suæ rationes Gracchus inscripserat. Is itaque cum nihil sibi iis recuperandis antiquius putaret, exercitu jam progresso, ad urbem Numantiam rediit, tribus aut quatuor sociis comitatus, proceribusque



que eorum evocatis petiit, ut tabulæ sibi redderentur, ne inimicis calumniandi occasionem præberet, cum administrationis suæ rationes edere nequiret. Numantini vero gavisi, oportunitatem operæ suæ implorandæ accidisse, hortati sunt, ut in urbem intraret, dubitantique propius accedentes manus injecerunt, orantes, ut irer, neque se jam hostium loco haberet, sed ut amicis uteretur atque crederet. Statuit hoc facere Tiberius tabularum cupidus, metuensque, ne fidem non habendo eos irritaret. Ingresso in urbem statim est appositum prandium, majoremque in modum oratus, ut assideret, publicæque comederet. Tabulæ deinde redditæ, & si quid præterea vellet accipere permissum. Gracchus nulla re, nisi tabulis & thure, quo ad publica sacrificia uteretur, accepto, amice salutatis Numantinis discescit.

§. XXXVI. Elucet ex eo simul humanitas Numantinorum, quam & in ipsis foederis conditionibus conspiciendam dederunt, quare non video, cur Scriptores Romani de turpitudine ejusdem tam multa clament. Turpe id, detestabile, ac ignominiosum Vellejus vocat *II. 1. 4. 3. II. 90. 3.* deforme Valerius Maximus *II. 7. 1.* Turpissimum ab Orosio dicitur *lib. 5. c. 4. p. m. 363.* Et forte a Romanis scriptoribus hausit Augustinus, quando *lib. 3. de C. D. c. 21.* Numantinum foedus horrenda ignominia maculosum fuisse memorat. Quintilianus *Institut. Orat. libr. 3. c. 8. p. m. 247.* foedus hoc inter ea refert, de quorum turpitudine dubitare non liceat, nisi quis utilitatis specie seductus ea probare velit. Sed uti Quintilianus quidem in eo loco graviter errat, dum honestum quidem & turpe ab utili & inutili satis accurate distingvit, turpe autem, quod honesto opponit, magis pro ignominioso supponit, quam pro vetito ac legibus prohibito, cum tamen turpe in hac acceptione magis glorioso, quam honesto fuisset opponendum, ita si dicendum, quod res est, per turpitudinem, quam huic foederi impingunt Scriptores adducti, non intelligendum est, ac si illicitum quid, ac legibus adversum fuisset admissum, sed, quod gloriam saltem populi Romani, qui fere tum temporis honestatem ex gloria merebatur, magnam partem destrueret, nam ignominiaæ apertæ n. eminit Vellejus & Augustinus, eoque respexit Plutarchus, dum *d. l. f. 863.* indignam hanc pacificationem & Romæ dedecus afferentem appellat.

§. XXXVII. Sed neque hoc ex vero dictum esse agnosces, si modo lubuerit non gloriosum ab ignominioso discernere. Illud carentiam honoris & præminentiaæ, hoc positionem inferioritatis, neque  
cujus.



cujuscunque, sed quæ cum contumelia est conjuncta, involvit. Caudinam sponſionem pro ignominioſa venditare poterant Romani, cum in ea ſinguli milites inermes cum ſingulis veſtimentis ſub jugum a Samnitibus miſſi fuerint. a) *Livius lib. 9. c. 3. 4.* Numantinam ſponſionem cur ignominioſam appellent, ratione deſtituitur, cum hic omnis ceſſaverit contumelia, & Numantiniæ quas ſaltem pacis conditiones & amicitiam Romanorum deſideraverint. *vid. §. 29.* ac caſtra a Romanis jam relicta & ante ſponſionem occupata jure prædæ retinuerint. *Plutarch. d. f. 893.* Ipſe Florus æquitatem Numantinorum tacite agnoſcit, dum eos *armorum manubiis contentos fuiſſe*, dicit, *cum ad internecionem ſevire potuiſſent.* *vid. §. 29.* Nec eſt, quod objicias, ex hoc Flori loco videri, quaſi Romani milites inſuper per ſponſionem adaçti fuerint arma deponere; at ſupra jam fuiſſe inculcatum §. 21. armorum deponſionem pro ignominioſa ſemper fuiſſe habitam. Præterquam enim, quod iſta Flori verba facile ex Plutarcho explicationem accipiant, quod intelligat armorum manubias in caſtris relictas a Romanis, ingens differentia ſub eſt, utrum armorum deditio poſtuletur ab iis, quibus ſpes evadendi ſuper eſt, ut in exemplis *d. §. 12.* adductis, utrum ab iis, quorum internecio in tuo eſt arbitrio, ut hic.

§. XXXVIII. Ipſe tamen Florus eorum parum memor, quæ modo dixerat, mox ſubjungit *d. l. 2. c. 18. p. m. 82. & 83.* *Sed non minus Numantini, quam Caudini illius fœderis flagrans ignominia ac pudore populus Romanus dedecus quidem præſentis flagitii, deditioe Mancini expiavit.* Quæ concifa, & paululum obſcura verba quid innuere velint ex Freniſhemio paululum fuſius declarandum eſt. Scilicet mordebat Romanos, indignabanturque, quod eo virtus famaſque civitatis deciderit, ut poſt tot annorum bella par demum etiam ſancita per fœderis religionem conſeſſione Roma Numantiæ judicaretur. Neque crebrior per eos dies ſermo apud iratos erat, quam Caudini fœderis poenam in hos eſſe renovandam, qui fœderis illius infamiam retuliſſent. At parentes propiniquique eorum, qui in exercitu erant, quod Tiberio ſe debere ſalutem ſuorum intelligebant, de Conſule quidem, cui omnem facti turpitudinẽ imputabant, dedendo non diſſenſere; Tiberio parci volebant, hujusq; in gratiam ceteros etiam, qui in pari cauſa eſſe videbantur, eripere tentabant. Eſt igitur factum eſſet S. C. Tribuni plebis ad populum ferrent, uti pax injuſſu populi cum Numantinis pacta pro infecta eſſet; auctores paciſcendæ hoſti dederentur, Mancinusque legem ſuo capiti damnolaſam ipſe ſuſceperit, tamen cum Gracchus,



chus, indignam sibi cæterisque pro servato exercitu referri gratiam vociferaretur, neque pauci ex populo, quorum cognati adfinesque eadem in causa erant, tanquam suo periculo moverentur, tandem populus de foedere ubi rogatus erat, jusfit, dedi neminem præter Mancinum. Igitur a P. Furio Consule in Hispaniam deductus, & cum a Numantinis vilem fraudatæ pacis victimam aspernantibus, non reciperetur, ante portas expositus est, ibique in oculis civium, hostiumque, ab illis relictus, ab his non admissus, ab utrisque desertus despectusque in noctem usque perstitit, & lachrymabile spectaculum utriusque præbuit. Freinshem. *lib. 20. c. 17. & lib. 21. c. 2. 3. 13. 14.* Plutarchus *d. f. 863. seq.*

§. XXXIX. Exclamare hoc loco dolor exigit, verba sunt Pauli Orosii *Hist. l. 5. c. 5.* Cur falso vobis Romani magna illa nomina justitiæ, fidei, fortitudinis & misericordiæ vindicatis? A Numantinis hæc verius discite. Fortitudine opus fuit? Pugnando vicerunt. Fides exigebatur? Credentes aliis secundum se, quos occidere potuerant, pacto foedere dimiserunt. Justitia probanda erat? Probavit eam vel tacitus Senatus cum iisdem Numantini per Legatos suos aut inviolatam pacem solam, aut omnes, quos pignore pacis vivos dimiserant, reposcebant. Misericordia examinanda videbatur? Satis documenti dederunt, vel emittendo ad vitam inimicum exercitum, vel ad poenam non recipiendo Mancinum. Mancinusne, rogo, dedendus fuit, qui victi exercitus impendentem trucidationem prætento umbone pacti foederis dispulit, qui periclitantes patriæ vires in meliora tempora reservavit? Aut, si displicuit foedus, quod pactum est, cur miles hoc pignore redemptus, aut cum reverteretur, receptus est, aut cum repeteretur, redditus non est; Aut, si placuit, servati militis qualiscunque provisio, cur Mancinus, qui hoc pepigit, solus deditus fuit? Nuper Varro, ut præpropera pugna iniretur, collegam Paulum obstantem impulit, trepidantem præcipitavit exercitum, infelices copias apud infames illas Romanis cladibus Cannas non disposuit certamini, sed opposuit morti. Plus quam quadraginta millia ibi militum Romanorum sola impatientia sua, de qua sibi victoriam jam dudum Annibal præsumebat, amisit. Collega etiam Paulo, (quo tandem viro?) perditio, novissime in urbem pene solus impudentissime redire ausus est, meruitque suæ impudentiæ præmium. Nam gratia ei, quod de republica non desperasset, quam tamen ipse fecerat de-

D

lpera.



speratam, publice in Senatu actæ sunt. Porro autem Mancinus, qui sorte bellica circumventus exercitum perderet, laboravit, ab eodem Senatu deditioe damnatus est. Scio, Romani, & illud in Varrone, displicuit, sed tempori concessum est; & in hoc Mancino placuit, sed secundum tempus præsumtum est, atque ideo ab initio perfecistis, ut nec civis consulat convenienter ingratis, nec hostis fideliter credat infidis.

§. XL. Hæc ita quidem Orosius. Cæterum uti facta Romanorum subinde suos defensores invenerunt, ita & hic non defuerunt, qui deditioe hujus defensionem susciperent. *Vide Rupertum ad Vellejum p. m. 109. Bœclerum ad eund. p. m. 78. Zevcotium ad Florum p. 327. Ærodi-um rerum judic. f. m. 170. Conf. Grot. de J. B. II. 15. 16.* Sed nobis Orosii judicium placet. Separandæ tamen hic erunt duæ quæstiones. Initio an Mancinus præ Graccho deditioem fuerit meritus? Deinde an Romani deditioe Mancini expiaverint facinus violatæ fidei?

§. XLI. Quod primum attinet, fateor exemplum Varronis augere injustitiam Romanorum jam probatam, nondum probatam demonstrare non arbitror. Miro gradu Varro ad Consulatum ex macellaria patris taberna conscenderat. Et quidem fortuna parum duxit falces ipsi favore plebis, patribus ne quicquam resistantibus largiri, nisi & L. Æmilium Paulum virum Nobilissimum collegam dedisset. Neque solum gratiæ eidem ex infelici clade redeunti actæ sunt a Senatu, sed & insuper Dictatura tanquam in præmium rei pessime gestæ delata est, quanquam iis constantissime renunciavit, dicens; Felicioribus magistratibus Reipublicæ opus esse. *Vid. Valer. l. 3. c. 4. ex. 4. p. m. 290. Liv. lib. 22. Ærod. rer. jud. f. m. 585. c. 15.* Jam etiamsi nullum sit dubium, quin hic populus Romanus lenitate peccaverit, propterea tamen non inferendum est, erga Mancinum eandem lenitatem fuisse adhibendam, si in officio suo similiter peccaverit, uti Varro. At peccasse Mancinum, istud nego.

§. XLII. Equidem Ærodius, ut factum Romanorum Mancinum deditioem, Gracchum autem & reliquos liberantium defendat, hæc affert *d. f. 170. Crimen male in ita pugna erat Hostilii Mancini, servati militis ex quocumque fœdere, beneficium Tiberii Gracchi. Præterea Quæstor paruerat Consuli. Denique sufficit dedi auctorem.* Sed mihi quidem omnia hæc, ut molissime dicam, ab Ærodius parum congrue videntur esse adducta. Nam primo quæ de crimine Mancini & beneficio, Grac-

ch



chi loquitur, huc non pertinent, etiam si daremus Mancinum commi-  
 sisse crimen intuitu populi Romani. Neque enim deditiois Mancini  
 finis unquam fuit, aut esse potuit poena ejusdem ob delictum in Rem-  
 publicam Romanam perpetratum. Est enim principiis Politicis ad-  
 versum, ut executionem poenae Respublica hostibus demandet. Et  
 profecto si arbitratus fuisset populus Romanus Mancinum crimen per-  
 petrasse, non admisisset eum unquam ad honores pristinos post redi-  
 tum. Quare potius Arodius iudicium quorundam iratorum ex po-  
 pulo, effectus exuperantia abductorum, ut sentirent Caudini foederis  
 poenam in hos esse renovandam: qui foederis illius infamiam retulis-  
 sent, aliorumque propinquitate & amicitia Gracchi motorum, ut ar-  
 bitrarentur, Consul omnem facti turpitudinem imputandam esse (*vi-  
 de qua supra ex Freinshemio attulimus §. 38.*) se decipi passus est, ut poe-  
 nam non nisi impropriissime dictam pro vera haberet.

§. XLIII. Accedit, quod si rei gestae veritatem intueamur,  
 Mancino crimen nullum, vel etiam culpa intuitu sponsionis istius im-  
 putari queat. Et recte adeo Plutarchus (*vid. supra §. 30.*) infortunatum  
 quidem Mancinum, sed non malum appellat. Non melius pro ejus  
 defensione differere poterimus, quam id jam expedivit Freinshe-  
 mius, Mancinum in Senatu sic loquentem introducens *lib. 20. c. 19. 20. 21.*  
*22.* Quando ita Diis immortalibus placuit, ut haec sola tantam civium  
 Romanorum multitudinem servandi ratio superesset, eadem mihi iusta  
 piaque videri debuit. Triginta hominum millibus hinc armis hosti-  
 um, inde locorum iniquitate clausis suprema dies aderat, si fastidire  
 perrexissem foedera, quae tali in sorte ulro ambienda videbantur. Vi-  
 derint, quibus parentes, liberos, propinquos servavi, quid de hoc con-  
 silio iudicaturi sint, per quod effectum est, ne ingens pars civitatis lu-  
 ctu & mœrore mergeretur. Neque tamen magna jactura salus exer-  
 citus constitit. Nihil amissum est eorum, quae ante me Consulem in  
 Hispania tenuistis. Vos autem oro, quae loque, Patres Conscripti,  
 cum de hoc facto deliberabitis, ne praesentem potius animorum ha-  
 bitum, postquam metus omnis discessit, quam illorum temporum fa-  
 cilem, quam periculorum & terroris plena omnia erant, in consilio ha-  
 beatis, neve potius, quae facta maluissetis, quam quae potuerint fieri,  
 cogitetis. Neminem equidem laceo, quod & a moribus meis, &  
 ab hoc tempore meo alienissimum est. Sed quis ignorat, quanta su-  
 periorum Consulum culpa, nostras legiones ignavia, quantus discipli-  
 nae



næ contemptus inceserit. Quam ego ignaviam quotidianis velitationibus corrigere, animumque firmare conatus, cum in me nihil desiderari passus essem, frustra fui, quod neque pudore jam poterant, neque periculi magnitudine excitari. Et rebus perditis licentiosius a me flagitabant, ut, quia nihil esset melius, ad eandem pacem descenderem, quam ante me Pompejus impune pepigisset, cujusque non reservatæ vindictam irata numina exigent. Et profecto, si verum amamus, minus est mirandum, si in bello parum certæ æquitatis acerbiores paulo eventus fuerunt. Diis enim, Diis, inquam, prodentibus discessum nostrum, quod calamitatis omnis causa fuit, senserunt Numantini. Quid enim tam incredibile, quam duos omnino viros id noctis ad castra succedere ausos? Deinde amor, æmulatio, accedens a patre amatæ stimulus, & hæc omnia in id temporis momentum concurrentia, quid aliud, quam voluntatem, consiliumque Deorum arguunt. Atque utinam illorum aut cecidisset auspiciis, aut voci revocantium paruissem. Quanquam, si recte rem putamus, proficisci me & adesse rebus istis oportuit, ut, si necessum sit, in meum caput, quidquid tempestatis inde inderet, salvo exercitu recideret. Sane patrum nostrorum memoria, cum florentissimis Populi Romani copiis alienissimo tempore perditis Varro Consul in urbem solus revertisset, gratiæ sunt ei ab Senatu actæ, quod de Republica non desperasset; quam prope desperationem sua temeritate adegerat. Mihi servato exercitu venia facti suffecerit. Quanquam & istam si quorundam negaverit severitas, dum mea opera viginti amplius civium Romanorum millia salva esse vobis memineritis, lætus ac lubens, quam dederitis, sorte defungar. Quin imo ipse sibi hac parte satisfaciet Ærodius, dum alibi *f. m. 584. cap. 15.* sic differit: *Si nihil nisi fortuna accusetur, teneri propterea imperatorem, injustum est? Quis culpam fortunæ tribuat? crimini calamitatem? Nonne multos viros fortes in communi incertoque periculo belli & terra & mari sæpe offendisse.* Tum provocat ad exemplum Posthumii in pace Caudina, item ad exemplum ipsius Varronis. Hic vero patiemur eum malæ inite pugne crimen imputare Hostilio Mancino? Absit.

§. XLIV. Sufficiant ista ad primum argumentum Ærodii. Quod addit idem, *servati militis ex quocunque fœdere beneficium fuisse Tiberii Gracchi*, id equidem parum cohæret cum verbis statim sequentibus: *præterea Quæstor paruerat Consuli.* Vide enim, quam ex præjudicio odii  
erga



erga Mancinum differat Ærodius. Si foedus pro beneficio vellent agnoscere Romani, Mancino id non debere adscribi, quia cum Graccho pacisci voluerunt Numantini. Quod si autem flagitium hic fuerit admissum, id soli Mancino esse expiandum, quia Gracchus tanquam Quæstor Mancino paruerit. Nos si Graccho infesti essemus, Ærodi rationem aduersus hunc possemus retorquere. Sive enim accepta fuisset pax Romanis, Mancino hæc omnia forent tribuenda, quia in ea pangenda Graccho tanquam Quæstore usus fuerit Consul. Sin ingrata, nihil hic imputandum esse Mancino, quoniam ipse capita pacis non determinavit, sed Tiberius Gracchus.

§. XLV. At, inquit Ærodius [d. §. 42.] *sufficit dedi auctorem*. Ergo poterat Gracchum liberare a deditioe Senatus, quia revera saltem erat minister Consulis. At, inquam ego, si delictum per hoc foedus esset commissum in Numantinos, valeret hæc ratio Ærodi, ut Mancinus, tanquam facinoris autor, deditus fuisset Numantinis. *Vid. Grot. III. 21. 13. Illustr. Dn. Pufend. l. 8. c. 7. §. 12.* Ita Samnites instinctu Brutuli Papii rumpentes inducias cum Romanis pactas deditioe Brutuli & bonorum ejus violationem induciarum expiare intendebant. *Vide Dn. Præsid. Diff. de Spons. Rom. Caudina §. 37. seqq.* Jam autem, quoniam sponsio inita erat cum Numantinis a Mancino, alia erat ratio. Neque enim solus Mancinus sponsoit, sed & Gracchus & cæterorum honestissimus quisque sponsione se obligarunt, mansura ea, quæ pepigissent. *vid. supr. §. 30.* Et quamvis Consul jurejurando, reliqui sponsione simplici fidem dederint, jusjurandum tamen tam jure naturali, quam ex dispositione legum Romanarum, magis quidem ligat promittentes, sed non ad majus. Quare singuli sponsores obligati erant, non solum ad diligentiam adhibendam, quo sponsio hæc a Romanis observaretur, sed & ad deditioem sui & bonorum suorum, si Romani eam servare nollent, per ea, quæ iterum *Dn. Præses d. l. §. 60. seqq.*

§. XLVI. Equidem Tiberius Gracchus, quantum in ipso fuit, sponsionem adimplevit, quia omnibus modis tentavit populum Romanum & Senatum disponere, ut sponsionem servarent, *Freinshem. d. l. 21. cap. 3.* At Mancinus tamen, quomodo a perjurio liberabitur, quod idem Freinshemius recenset, illum suasisse sui deditioem, (*vid. supr. §. 38.*) quo pacto æqualem censuram videtur mereri, si quam de facto Posthumii occasione sponsionis Caudinæ dedit *Dn. Præses d. l. §. 69. seqq.* Sed videtur saltem. Nam haud dubie Freinshemius in iis, quæ de



Mancino hac parte refert, respexit ad Ciceronem, qui *lib. 3. Offic. p. m. 555. edit. Rachel.* ubi de tacto Reguli disputat, quædam de Sponsione Caudina & Numantina immiscet, & inter alia ipse Posthumium cum Mancino comparat. *Atque, ait, hujus deditiois ipse Posthumius, qui debebatur, svasor & autor fuit. Quod idem multis annis post Cæsar Mancinus, qui, ut Numantinis, quibusdam sine Senatus autoritate fædus fecerat, dederetur, rogationem svasit &c.* Sed quod pæce Ciceronis dixerim, hæc ipsa de Mancino mihi haud videntur probabilia, si perpendam diversissimum ejus characterem a Posthumio, & stimulos, qui hunc moverunt, ut deditioem sui svaderet, expositos *in d. disp. de Spons. Caudin. §. 69. seqq.* a quibus alienissimus erat Mancinus. Et forte ipse Cicero, cum ex historiis agnosceret majoribus virtutibus fuisse præditum Mancinum præ Posthumio, & vero deditioem Posthumii ac svasioem ejus a Posthumio factam pro justa habet, laudandi Mancini gratia hanc circumstantiam addidit de suo. Aliter enim refert Vellejus *II. l. 5. Sed Pompejum gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia. Quippe non recusando perduxit huc, ut per feciales dederetur hostibus. Nisi forte dicere velis, Mancinum initio inculcasse observatioem sponsionis, postea vero cum videret animos civium Romanorum ab hoc esse alienos, & Gracchi ac reliquorum, qui sponsonderant amicos omnibus viribus tentare, ut ipse solus dederetur, cessisse horum potentia & violentia, & ita cum videret se effugere deditioem non posse, ipsum eam svasisse. Quorsum videtur inclinare Freinshem. d. l. 21. c. 2. juncto lib. 20. o. 19. seq.* Atque hoc pacto svasio hæc Mancini cum svasioem Posthumii nequaquam comparanda venit, neque eadem censuram injustitia meretur.

§. XLVII. Jam videamus etiam, an Romani deditioem Mancini liberaverint fidem suam? *Recipere noluerunt Mancinum Numantini, ait iterum Vellejus d. l. sicut quondam Caudini fecerunt, dicentes, publicam violationem fidei non debere unius sui sanguine. Valuisset hæc ratio, ita Boeclerus censet ad d. l. Vell. p. 78. si Numantini Legatis missis cum Senatu populoque Romano de pace ac fædere egissent. Nunc nemo civis pro populo spondere potuit. Rupertus autem ad d. l. Velleji, Publica non erat, (mallem addidisset substantivum, ut indicaret, an ostendere voluisset, non fuisse publicam violationem, uti Vellejus ait, an vero non fuisse publicam fidem, ut verba ejus subsequenta videntur inquirere. Neque tamen dixerat Vellejus publicæ violationem fidei. Hæc duo*

duo



duo autem differunt, cum mox dicenda facile ostendant, esse posse publicam fidei violationem, etsi non sit fides publica) Mancinus enim sponsionem, non is, qui summum imperium habebat, i. e. populus. Bene Posthumius. Injussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum teneat. Consentit Ærodius d. f. 170. In omnibus fœderibus, quorum acerbissima diligentia est, (inquit Cicero pro Balbo) hostes sibi imputare oportet, qui non omnia mature considerant. Non enim debuisse exercitum dimittere sub sola sponsione Imperatoris, cui injussu S. P. Q. R. nullum fœderis iniendi jus est. Uniuscujusque populi morem inspici oportere (qualis etiam noster est) num fœdera inita sic rata sint: si Senatui placuerunt. Quod ad milites attinet, nulla fide obstringi erga hostem. Merito igitur solum eum teneri, cujus culpa & autoritate pax inita improbata sit.

§. XLVIII. Si quis evolvat ea, quæ Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 15. §. 16. differit, apparebit ea omnia, quæ Boeclerus, Rupertus & Ærodius contra Numantinos in locis memoratis adducunt ex dicto Grotii discursu esse desumpta. Sed quemadmodum istis Grotii rationibus prolixius jam satisfecit Dn. Præses in dict. disput. de Sponsione Caudina §. 84. seqq. Ita nolumus ibi dicta huc iterum transferre. Res summam eo redit. Non potuit Mancinus cum reliquis sponsoribus directo populum Romanum obligare, quia jus belli & pacis penes Consules non erat, sed penes S. P. Q. R. & hætenus igitur ratione personarum contrahentium ex parte Romanorum publica conventio non erat. Non obstat, quod Ulpianus dicit l. 5. de pactis. Publica conventio est, quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quedam paciscuntur. Neque tamen prægnantem causam subesse video, quæ svadeat, verba Ulpiani emendatione habere opus, ut loco τὴν per pacem legi debeat per principem, quæ est sententia Duareni, & Vinnii citatorum a Magnif. Zieglero ad Grot. l. 2. c. 15. §. u. p. m. 380. Neque placet conciliatio Francisci Balduini maximi alias Juris Consulti, qui in Jurisprudencia Muciana p. m. 44. aliam Reipublicæ formam & rationem tum fuisse arbitratur, cum Ulpianus hæc dixerit, quippe neque tempore Severi & filiorum ejus, sub quibus Ulpianus vixit, duces belli potestatem habere potuerunt pacem nomine principis condere. Sed simpliciter hic dicendum erit, ab Ulpiano per publicam conventionem non illam intelligi, quæ fit jussu publico, sed quæ fit de negotio publico. Ita enim hoc innuunt verba Ulpiani modo præcedentia: Conventionum, inquit, tres sunt species. Aut enim ex publica causa fiunt, aut ex privata &c. Eodem modo



modo, quo Grotius *d. l. 2. c. 15. §. 2.* conventionum publicarum tres ait esse species, foedera, sponsiones & pactiones alias: *Conf. d. disp. de Spons. Caud. §. 47. seqq.* Obligati autem erant Romani ex capite de in rem verso, ut aut sponsionem istam observarent, aut milites ex sponsione servatos in locum, ubi sponsio erat facta, rursus collocarent, *d. disp. §. 89. seqq.* quorum neutrum cum fecissent, recte Numantini apud Vellejum illis *fidei* [et si non publicæ] publicam violationem objicere poterant. Poterant ea repetere, quæ Pontius Samnitum dux alio tempore Romanis objiciebat, apud Livium *libr. 9. c. 11. Samniti populo omnes, quos in potestate habuit, aut pro iis pax debetur. Si populum Romanum sponsionis ad furculas Caudinas facta pœnitet: restituat legiones intra saltum, quo septæ fuerunt. Nemo quenquam deceperit, omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactiorem tradiderunt. Redeant in castra sua. Quicquid pridie habuerunt, quam in colloquium est ventum, habeant. Tum bellum & fortia consilia placeant: tunc sponsio & pax repudietur. Ea vero fortuna iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum. Nec populus Romanus Consulum sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus. Quod Ærodius vero Numantini imprudentiam exprobrat, quod exercitum sub sola sponsione dimiserint, id ad justitiam quidem vel injustitiam nihil facit, *d. disput. §. 87.* Nec quicquam juvat Ærodius Ciceronis dictum, quasi in omnibus fœderibus acerbissima diligentia requiratur. Nam hæc sententia ne quidem per Iomnium Ciceroni venit in mentem, quin potius ea, quæ de acerbissima diligentia memorat *idem pro Balbo c. 5. f. m. 531.* longe alia intendunt, quam id, quod ex illis exsculpere voluit Ærodius.*

§. XLIX. Quod si comparare inter se Sponsionem Romanorum Caudinam cum hac Numantina velimus, quoniam Scriptores morales plerumque eas conjungere solent, patebit, duas potissimum differentias non exiguas in iis notari posse, unam ex parte Sponsorum, ex parte Romanorum, & modi, se a sponsione liberandi, alteram. In Caudina primarius inter sponsores erat Sp. Posthumius, cujus ignavia, negligentia & temeritati imputandum erat damnum & ignominia, quæ ex ista sponsione in Romanos redundabat *d. disp. §. 53.* quique fidem Samnitibus sancte datam multis modis violabat; *ib. §. 67. seqq.* Hic C. Hostilius Mancinus, quantum per infortunium poterat, officium boni ducis adimpleverat, neque sponsionem suam violaverat ipse; vide *surpa §. 30. 35. 46.* In Caudina sponsione gravi ignomi-  
nia



nia affecti erant Romani, quod a Pontio singuli milites sub jugum missi fuerint, & nihilominus tamen Romani præter 600. obsides, qui jam in potestate Samnitum remanserant, Consules, Legatos, Quæstores, Tribunos militum, & omnes, qui sponponderant, Samnitibus dediturabant. Hic vero cum servare aut perdere exercitum Romanorum in potestate Numantinorum esset, non solum dimiserant incolumem, sed & absque insultationis nota dimiserant, & insuper Tiberium Gracchum magno favore post initam sponsonem exceperant. *vide supra §. 35. & 37.* Romani autem non Gracchum, non cæteros quosque honestissimos, quorum plures Numantinis sponponderant, *conf. supra §. 29.* sed solum infelicem Mancinum dedere Numantinis decernebant. Ut adeo jure ad Romanos accomodare possis illud Horatii *lib. 3. Od. 6.*

*Ætas parentum pejor avis tulit*

*Nos nequiores, mox daturos*

*Progeniem vitiosorem.*

§. L. Cum vero Mancinus ad noctem usque ante portas Numantinorum perstitisset, neque ab his acceptus fuisset, tum Romani velut omni obligatione sua soluti defunctum recipiendum censuere. Ipse vero Mancinus domum reversus curiam intrare non duabitavit. Sed controversiam ipsi movit P. Rutilius tribunus plebis, quasi nempe per deditorem Mancinus jus civitatis amisisset, & adeo una cum illo jure jus Senatoriæ dignitatis, neque ad postliminium provocare posset, cum deditorum quidem nullum sit postliminium. Vicit tamen sententia mitior, quod vi optimus adversæ fortunæ culpam satis huisse tanta ignominia miseriaque videretur, præprimis cum & juris species aderat, poteratque defendi, nihil videri traditum esse, quod ab eo, cui traderetur, acceptum non esset. Itaque ne aut homini aut Legi injuria fieret, autore Senatu ad populum latum est, C. Mancinus civis Romanus haberetur, neque deditio ipsi fraudi foret. *Freinshem. lib. 21. cap. 14. seqq.*

§. LI. Desumfit ista Freinshemius ex Cicerone partim, partim ex loco Pomponii §. 8. descripto. Cicero quidem controversiam hanc tam notabilem judicavit, ut ter ipsius mentionem injiceret, in libris qui ad nos pervenerunt. Quare interest, cum & reliqui scriptores, qui eandem memorant, omnes ad Ciceronem provocent, ut præprimis verba ejusdem hic apponamus. Primus locus est *de Oratore lib. 1.*

E

C. 40.



l. 40. p. m. 79. Ubi postquam dixerat, quod Mancinus Curiam intraverit, Rutilius autem illi se opposuerit, & educi iusserit: Rutilius negavit Mancinum civem esse, quia memoria sic esset proditum, ut, quem pater suus aut populus vendidisset, aut pater patratus dedisset, ei nullum esset postliminium. Secundo eandem controversiam repetit in *Topicis* c. 8. p. m. 173. Scævola P. filius postliminium junctum putat esse verbum a post & limen, ut quæ a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, & ex suo tanquam limine exierint, dein, cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postliminio rediisse, deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem neque donationem sine acceptione intelligi non posse. Denique in *Oratione pro A. Cæcinnâ* c. 34. p. m. 348. Quid? ait, quem pater patratus dedit, aut suus pater populusve vendidit, quo is jure amittit civitatem? Ut religione civitas solvatur, civis Romanus traditur, qui, cum est acceptus, est eorum quibus est deditus. Si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam & jus civitatis. Patet ex dictis, Ciceronem in ea fuisse sententia, quasi deditus hostibus & ab iis non acceptus jus civitatis retineat. Consentiant cum Cicerone Hugo Grotius de *J. B. & P.* l. 2. c. 28. §. 4. sect. 7. Ill. Pufendorff. de *J. N. & G.* lib. 8. c. 11. §. 9. Erodius *rerum Judic.* f. 546. c. 2. Contra Ciceronem vero disputant pro sententia Publii Mucii Franciscus Balduinus in *Jurisp. Muciana* p. 46. & 47. Magnif. Dn. Ziegler. ad d. l. Grotii p. m. 484. Henrignes ad *Grot.* II. 15. 16. p. 751.

§. LII. Atque ita commode delapsi ad leges Pomponii & Modestini §. 1. descriptas, quarum gratia præsentem discursum incepimus, de Pomponii textu, tanquam in quo non ita magna latet verborum obscuritas, ut in lege Modestini, faciemus initium. Inquit Pomponius: Eum, qui legatum hostium pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere. Sunt enim legati sancti & inviolabiles, atque adeo, qui hos violat, præcepta juris gentium lædit, ut Pomponius ipse in verbis initialibus d. lult. de legatis agnoscit. In Epitome Liviana lib. 15. ita scriptum est: Cum legatos Apolloniatis ad Senatum missos quidam juvenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatis, Eam historiam, quia intercidit liber ille Livii, integram non habemus. Q. Mucius vero totam tenebat. Sed & hujus moris & juris recentius extat exemplum, quod narrat Livius lib. 38. L. Minucius Myntilus & L. Manlius, quod legatos hostium pulsasse dicebantur jussu M. Claudii

Præ-



Prætoris urbani per Feciales traditi sunt legatis & Carthaginem aucti.  
*Conf. Franc. Bald. Jurispr. Mucianam p. 110. seqq.*

§. LIII. Cæterum quod deditioem hanc attinet, ea passiva est, neque confundi debet cum deditioe activa, de qua superius quædam differuimus §. II. seqq. Quamvis autem Grotius II. 21. 4. 1. eam ita describat, quod sit *actus, quo civitas, sub qua degit is, qui culpæ in extraneum reus est, permittit illum arbitrio lesi interpellantis*; accuratius tamen nobis videtur, si dicamus, *esse actum, quo civitas jus, quod in suum civem habet, tradendo illum civem etiam invitum offert alteri civitati.* *Conf. Ill. Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 8. c. II. §. 9.* Nam verum equidem est, quod plerumque deditio ejusmodi ob culpam vel dolum in eos, quibus quis deditur, commissam peragatur, & plura hanc in rem exempla adducit ipse Grotius *d. l.* Sed præterea tamen est etiam quoddam deditiois passivæ genus, quod non fit ex capite delicti vel damni dati, sed ex contractu vel quasi ad præstandum interesse, quorsum refero ex intentione Romanorum deditioem sponforum, qui de pace sine jussu populi Romani pactum inierant, quoties Romani pacem approbare nollent, quod factum fuit in sponsione Caudina & præsentis Numantina. Jam enim supra §. 42. & 43. declaravimus, Mancino certe nullum crimen neque in Numantinos, neque in Romanos commissum imputari posse. Unde facile patet in formula hujusmodi deditiois: *Quandoquidem hinc homines injussu Populi Romani Quiritium fædus iectum iri sponponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo,* vocabulum noxæ abusive supponi aliterque ut alias in capite damni dati & actionibus noxalibus solet. Cæterum nullum est dubium, deditioem eorum, qui legatos hostium pulsassent, pertinere ad deditioem ex delicto.

§. LIV. Jam pergit Pomponius: *Quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an civis Romanus maneret?* Ergo si verba Pomponii sequimur, non quæsitum est in genere: Utrum is, qui deditioe quacunque passiva deditus hostibus & non receptus est, civis maneat? Sed de eo saltem, qui ex capite delicti deditus est, & quod legatos hostium pulsasset. Cæterum uti, quantum meminimus, ejusmodi casus in Romana historia non occurret, ut de jure civitatis ejus, qui ob violationem legatorum deditus sit, quæstio fuerit mota, ita sapienter fecisset Pomponius, si mentionem hujus casus distinctius fecisset. Quod si integrum contextum Pomponii legas, ei, qui de sponsione Numantina



non plene sit instructus, facillime suspicio oriri poterit, quasi casus hic cum Mancino contigerit. Hoc enim videntur innuere verba sequentia: Id autem maxime quaesitum est &c. Et ita profecto Pomponium intellexit Glossa *ad d. l. ult. de legat. lit. m.* Cæterum historia hætenus recensita de Mancino alia omnia persuadet. Quare aut erravit Pomponius, Mancino factum tribuens secus ac veritas poscebat, aut inconvenienter quaestionem de eo, qui ob violationem legatorum deditus erat cum controversia Mancino facta miscuit.

§. LV. Quod si dicere debeam sincere, quid mihi videatur, erravit Pomponius in historia. Neque enim hoc novum est ipsi, quippe cum commentatores *ad l. 2. de O. J.* plus una vice ipsius errores in recensenda historia Juris Romani commissos notaverint. Et videtur Pomponius fuisse in historiis vir multæ quidem lectionis, sed parum felicis memoriæ. Atque adeo, cum ab ipsis Romanis ob facti similitudinem conjungi soleant sæpius, sponsio Numantina atque Caudina, facile evenire potuit, ut circumstantiam uni peculiarem per memoriæ lapsum ad alteram transferret Pomponius. Etenim in sponsione Caudina *Sp. Posthumius cum Samnitibus dederetur femur fœcialis genu, quanta maxime poterat vi, percussit, & clara voce ait, se Samnitem civem esse, illum Legatum, fœcialem a se contra Jus Gentium violatum. Sed hæc deditio a Pontio Samnite non fuit accepta. Livius libr. 9. c. 11. Conf. Disp. de Sponsione Caud. §. 78. seqq.* Atque hoc factum Posthumii Pomponio ante oculos versans, occasionem ipsi dedit putandi, quasi Mancinus legatos hostium pulsaverit, & propterea deditus, ab hostibus autem non receptus, ac ei postea controversia de jure civitatis mota fuerit, cum tamen in facto Mancini se omnia longe aliter habeant ac in deditioe Posthumii. Ceterum hæc aberratio Pomponii ansam nobis supeditat infelicitatem Mancini admirandi, quod cum *Sp. Posthumio*, multis modis & in pace cum Samnitibus facta & in ipsa illa violatione fœcialis vituperando, nulla status controversia post reditum ejusdem in urbem Romanam mota fuerit, innocentissimo Mancino lis ista a tribuno plebis sub justitiæ specie fuerit intentata. Quin & circumstantia illa de violatione legatorum a dedito perpetrata aliquid ad adjuvandam sententiam Mancini libertati adversam videtur conducere, quoniam profecto probabilius est, si ex deditioe civis derelictio deditentium est præsumenda, civitatem velle derelinquere hominem nocentem, quam innocuum.

§. LVI.



§. LVI. Sequitur apud Pomponium: *Quibusdam existimantibus, manere: aliis contra: Quia quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur, sicut cum aqua & igni interdiceret. In eaque sententia videri fuisse P. Mucium. Id autem maxime quaesitum esse in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt. Quaestionem hanc de hujus Mancini dediti nec recepti conditione propositam fuisse Publio Mucio Scævolaë dubium non est, cum non solum præter Pomponium id afferentem, conjectura præbeat, quod tertio post anno P. Mucio & L. Calpurnio Consulibus confectum sit bellum Numantinum, sed & Modestinus in l. 4. de captiv. varie hanc controversiam tractatam esse asserat inter Brutum & Scævolaë, unde simul patescit, quod Brutus hac parte Scævolaë contradixerit, eorumq; opinionem defenderit, qui existimaverunt deditum & non receptum civem Romanorum manere, quamvis eorum nullum memoret Pomponius in hac lege, qui & fundamenta nulla producit pro affirmantibus militantia, sed saltem rationem pro doctrina P. Mucii. Poterit tamen hic defectus suppleri ex locis Ciceronis superius §. 51. descriptis.*

§. LVII. Ante omnia autem observandum hic est, ne impingamus in statu controversiæ rite formando, cum alias facilis sit lapsus in expositione ipsius quaestionis. Pomponius dicit, quaesitum esse, an deditus nec receptus *Civis maneat?* Modestinus contra in l. 4. de captivis ita formasse videtur: an deditus nec receptus ab hostibus jure postliminii iterum *civitatem adipiscatur?* ut patebit ex inferius dicendis. Atqui hæc duo niminum quantum differunt. Quærebatur enim revera: An Mancino sola deditio Senatorius ordo, & cum civitate libertas adempta sit, licet hanc deditioem Numantini repudiassent? si nihil est ademptum, de jure postliminii nulla est quaestio. Si illa sunt adempta, quaeritur, an saltem reversus postea recuperet illa jure postliminii. Conf. Franc. Balduin. in *Jurispr. Muciana* p. 46. De singulis ideo seorsim videbimus.

§. LVIII. Quod priorem concernit, haud dubie Mancinus ante deditioem civis Romanus fuit, & adeo quaestio est, an per deditioem desinat aliquis esse civis? Quare cum modi, quibus quis civis esse desinit in facto consistent, & quodlibet regulariter præsumatur in statu pristino manere, donec mutatio ostendatur, facile patet, eos, qui arbitrantur, Mancinum civem mansisse, præsumtionem juris pro se habere, donec altera pars probaverit contrarium. Agnoscit id Pompo-



nus, quare & rationem adversæ sententiæ solum videtur retulisse, quod deditio sit species capitis diminutionis mediæ, quasi qui deditus sit, ex civitate expulsus & aqua ac igne interdictus esse videatur. Hic equidem de aquæ & ignis interdictione verba multa haud faciemus, cum tironibus notum sit, eam omnino ad mediam capitis diminutionem pertinuisse. Saltem quæstio est, an procedat argumentatio ab hac interdictione ad deditioem. Ubi paucis quidem repetendum est, quod non parum momenti hic afferat illa discussio, utrum deditio in poenam facta sit, an ex capite contractus, quod modo monuimus §. 55. Nam cum civi Romano aqua & igne interdicitur, id in poenam fit, ob delictum commissum, adeoque major inter hanc interdictionem cum prioris generis deditioe similitudo est, quam cum deditioe posterioris generis, quæ nihil fere cum poena commune habet, *conf.* §. 53. Mihi autem videtur argumentatio ista non concludere, cum diversissima sint interdictio aqua & igne & deditio. A diversis autem male inferatur.

§. LIX. Nam etsi id quidem lubentes fateamur, quod Fr. Balduin, *d. l. p. 47.* pro sententia Mucii urget, potuisse Senatam P. Q. R. Mancino ex jure Quiritum cum civitate auferre libertatem, uti fit in iis, quibus aqua & igne interdicitur. Sed tamen quæstio jam non in eo versatur, quid potuerit populus Romanus, sed quid voluerit. Quin imo multum adhuc demonstrandum foret, etiamsi de sola potentia velimus esse solliciti, an utrobique eadem adsit ratio. Aqua & igne interdictionem præcedit in cive meritum ex delicto proveniens. Deditio non semper delictum præsupponit. Certe non ea, qua Mancinus fuit deditus. Igitur quo jure, quave injuria vellemus hic populo tribuere facultatem innocentem civem directo ex civitate expellendi. Deinde interdictio aqua & igne reapse civitatem adimit, quia est capitis diminutio. Sed deditio utrum & ipsa capitis diminutio sit, jam *κρινόμενον* est, quod in probatione non debet tanquam concessum aut demonstratum præsupponi. Ergo sive deditio fiat ex capite sponsionis, ut hic in causa Mancini, aperta est differentia inter eam & poenam, quæ capite minuit, cum hoc casu nec jure potuisse civitatem auferre populus censeatur, sive etiam ob delictum commissum deditio fiat, non adeo magnum robur argumento inerit ab interdictione ad deditioem inferente, quia in ejusmodi deditioe non præsumitur populus nuda deditioe jus civitatis adimere voluisse. Quin potius  
de



de ejusmodi deditioe sic tenendum videtur. Civitas per alienum civem læsa jus habet civem lædentem bello persequendi. Quod si igitur civitas ipsius illum læsæ dedat, per deditioem ita subjicitur alienæ civitati, ut tanquam de proprio cive possit supplicium sumi. Qui ubi receptus fuit, priori civitati omne jus in ipsum perit, quia illa volente sub alterius civitatis imperium pervenit. Ubi autem receptus non est, licebit civitati dedenti istum vel plane ejicere, vel pro ratione delicti ipsum punire. Ubi tamen neutrum horum contigit, non censetur amisisse jus civitatis, nisi forte per expressam legem sic constitutum, ut qui talem in casum provenerit, eo ipso civitate excidisse sit censendus. *Vid. Illustr. Dn. Pufend. de J. N. & G. libr. 8. c. 11. §. 9.*

§. LX. Neque juvat sententiam Publii Mucii quicquam, quod pro ea affert Goeddæus *ad l. 102. n. 1. ff. de V. S. citatus a Magnif. Dn. Ziegl. ad Grot. II. 21. 4. p. 484.* quasi perinde habitum fuerit, ac si aqua & igne Mancino interdictum fuisset, quia suffragio populi quasi per rogationem ex civitate expulsus esset, neque adeo civitatem sine nova rogatione recipere non potuisset, quoniam æque per id petitur id, quod in quæstione est: utrum nimirum suffragia populi Mancinum dedi jubentia intenderint eundem ex civitate expellere. Quod autem Henniges *ad Grot. d. l. p. 751.* pro opinione Tribuni plebis Mancinum increpantes affert: *Quo tempore Pater patratus ad solvendam religione civitatem hostibus Te populi Romani dedit, civis noster esse desisti. Neque tibi prodest, quod non es receptus. Excludere Te civitate sua Numantini potuerunt, non potuerunt in nosam restituere;* id equidem ex Freinsheimio, *libr. 21. c. 15. 16.* descripsit, quamvis eum non nominet. Freinsheimius vero ad locum Ciceronis in Oratore supra §. 51. descriptum respexit. Sed ibi quidem tribunus plebis non dixerat eum, quem Pater patratus dedidisset, desisse civem esse, sed solum, quod ejus nullum sit postliminium. Atqui hoc ad secundam quæstionem pertinere modo monuimus.

§. LXI. Atque eadem, quæ nos hætenus diximus, inculcare quoque voluit ipse Cicero, ad cujus verborum intellectum adeo præsupponendum est, quod Cicero nequaquam voluerit onus probandi in se suscipere per deditioem non amitti civitatem, utpote cujus contrarium probare incumbit, ut jam probavimus dissentientibus.

Sed



Sed voluit saltē respondere rationibus dissentientium, & ex abundantia saltē insuper quædam adjicere ad illustrationē sententiæ suæ facientia. Igitur etiamsi ea argumenta illustrantia nihil solidi probent, pro nostra tamen & Ciceronis sententia sustinenda sufficere, quod nec adversariorum argumenta firmiter concludant. Et locus quidem in *Oratione pro Cæcina, quem vide supra §. 51.* respondet aperte ad doctrinam Mucii quasi deditio auferat jus civitatis, negando assertum Mucii: cujus adeo hæc est periphrasis: *Quid? ait: ex quo juris capite defendi posset eum, quem pater populusve vendidit, amittere civitatem. Et si enim concedam tribuno plebis, ut recte dictum, esse aliquam convenientiam inter deditioem & venditionem, tamen inde potius argumentum erit intervendum ad deducendam conclusionem adversam per deditioem, quam acceptio secuta non sit, nequaquam jus civitatis esse amissum. Uti enim is, qui a patre venditur, minime pro derelicto habendus est, si ab emptore non sit acceptus, cum qui vendidit rem suam, eam perdere nolit; sed ad alium transferre, ita quoque in deditioe ejusmodi res se habet. Quippe ibi pariter civis Romanus traditur, non animo derelinquendi, sed ut civitas religione solvatur. Ergo tum demum abdicatio imperii a tradentibus facta est, si ab ipsis, quibus deditur, acceptus sit. Quod si non accipiatur, ut Mancinus a Numantinis non est acceptus, tunc retinebit integram causam & jus civitatis. Consentit Ciceroni Ærodius *rerum judic. f. 546. c. 2.* Nam si per hostes steterit, ait, quo minus deditioem accipiant, nonne religione solutam esse civitatem? Si ita est, perinde omnia haberi, ac si nunquam deditio fuisset necessaria. Quod autem addit idem Ærodius *d. l.* In damnatione conditionem non inesse, in deditioe secus; non enim deditum aliter eorum fieri, quibus est deditus, quam si sit acceptus, id quidem paululum obscurius dictum est, nisi verba Ærodii sic velis exponere, quod respexerit ad distinctionem ex delicto & ex contractu factam, de qua supra §. 53. 58. & putaverit in deditioe ex contractu, ut hic, inesse conditionem, ut tum demum derelictio civitatis præsumatur, si civis deditus acceptus sit, aliter autem se res habeat, si deditio facta sit propter delictum, ubi præsumendum sit, quod civitas dedens civem dereliquerit, sive idem acceptatus fuerit ab illis, quibus est deditus sive non fuerit. Ubi tamen vide, quæ quoad hoc posterius membrum differuimus supra §. 59.*

§. LXII. Ergo cum obtinuerimus per deditioem Mancini eum jus civitatis nequaquam amisisse, frustra bonam causam desereremus, si velle.



si vellemus nos ad ipsum defendendum quæstioni secundæ immisce-  
re: An deditus & non receptus jure postliminli recuperet civita-  
tem? (*vid. supra §. 57.*) quoniam si tantum remitteremus de justitia  
controversiæ nostræ, facile pars adversa victoriam obtinere posset.  
Quid enim tum responderemus Rutilio neganti, Mancinum civem  
Romanum esse, quoniam ita memoria sit proditum, ut venditus a pa-  
tre aut populo vel deditus a patre patrato nullum habeat postlimini-  
um? (*conf. supra d. §. 51.*) Præsertim cum Paulus Rutilio suffragari  
videatur, qui *postliminio eos carere dicit qui armis victi hostibus se dede-  
runt, l. 17. ff. de capt.* Nam etsi dicto Modestini tueri nos vellemus  
in nostra *l. 4. cod. asserentis: Eos qui ab hostibus capiuntur, vel hostibus  
deduntur, jure postliminii reverti antiquitus placuisse,* in novam tamen  
hoc modo difficultatem incideremus: Utrum ita antinomialam inter  
Paulum & Modestinum statuere, aut quo modo contradictionem in  
his duobus textibus apparentem tollere debeamus.

§. LXIII. Si quidem Grotium ducem hic vellemus sequi, conci-  
liatio horum duorum Actorum non foret difficilis. Ita enim ille *de  
J. B. lib. 3. c. 9. §. 8. Huic regulæ de liberis hominibus exceptionem hanc re-  
cte adscribit Paulus: Postliminio carent, qui armis victi hostibus se  
dederunt; nimirum, quia pactiones cum hostibus factæ valent Jure Genti-  
um, ut alibi dicemus; nec adversus eas est postliminium. Ideo Romani illi  
a Pœnis capti apud Gellium: Postliminium justum non esse sibi, quoni-  
am de jure victi forent. Unde & induciarum tempore non esse postli-  
minium, recte a Paulo notatum est. At hos, qui hostibus deduntur, sine ulla  
scilicet pactione, postliminio reverti respondet Modestinus.* Ergo Grotii  
sententia eo redit, deditos ex pacto postliminio reverti non posse, pa-  
cto deditos posse. Ubi tamen mallet clarius dixisset, quid intelligat  
per deditos sine pacto?

§. LXIV. Si conjecturis locus est, putarem eum respexisse ad  
deditionem activam & passivam, ut sensus sit in activa deditione post-  
liminium locum non habere, quoniam dedentes cum hoste contrahe-  
rint; at in passiva, quoniam in illa deditio fiat sine consensu dedito-  
rum, ac ipsis invitis, adeoque sine pacto, procedere postliminium, si  
dediti potestatem hostium iterum evadant & in civitatem redeant.  
Atque de hoc casu loqui Modestinum; de priori Paulum. Quo pa-  
cto profecto Rutilius adversus Mancinum disputans, ingentem erro-  
rem



rem juris commisisset, doctrinam de deditioe activa moribus receptam male applicando ad deditioem passivam.

§. LXV. At vereor, ut hæc conciliatio procedat. Quippe id quidem diffiteri non possumus, Paulum de deditioe activa loqui. Sunt enim verba ipsius clara atque perspicua. Agnoscimus etiam rationem Grotii, quod pacta cum hostibus inita sint servanda. At ex eodem fundamento simul pro Rutilio argumentabimur, neque deditorum per deditioem passivam postliminium esse posse, quoniam & hic civitas dedens jureque suo utens in civem deditum, cum hostibus, quibus deditio fit, pactum init, & tale quidem, ut supra diximus, quo, si deditio accepta fuerit, deditus civis fiat eorum, quibus deditus est. Ergo quo jure ejusmodi deditus posset prætere postliminium? Quare manet hoc pacto Rutilii argumentum de cessante etiam hoc casu postliminio firmum, adeoque necesse est, ut Modestinum & cum Paulo & cum Rutilio alio modo conciliemus, de quo mox.

§. LXVI. At quid faciemus loco Ciceronis in Topicis supra §. 51. appposito, ubi Cicero ex descriptione postliminii concludit, defendi posse: Postliminio rediisse Mancinum: quia deditus non sit, quoniam non sit receptus & neque deditio, neque donatio sine acceptione intelligi non possit. Videtur hoc Ciceronis ratiocinium pessime cohærere. Quid enim istud est: Mancinus postliminio rediit, quia deditus non est? Si deditus non est, jura civitatis integra retinuit. Ejusmodi autem homo quomodo postliminio redire poterit, cum postliminium sit eorum, qui jura civitatis per captivitatem aut alio modo amiserant. Ipse Franciscus Balduinus acutissimus Ictus & in doctrina Ciceronis valde imbutus hic dubitat. *Quid igitur?* inquit, *in Jurispr. Muciana p. 46. Judicat Cicero Mancinum, cum ex captivitate primum pace cum Numantinis facta reversus est, jure postliminii & civitatem & ordinem recuperasse. Postea vero deditioe nihil amisisse, quia ea, quæ repudiata sit, nulla esse videatur.*

§. LXVII. Ego vero valde vereor, ut hæc fuerit mens Ciceronis. Præterquam enim quod pluribus hic disquirendum foret, utrum Mancinus jure dici possit pace facta ex captivitate Numantinorum postliminio reversum esse, cum Mancinus nunquam fuerit captivus Numantinorum, neque etiam sponsonem Numantini cum ipso tanquam cum Captivo suo, sed tanquam cum Consule Romano fecerint,



rint, insuper maxime incongrua foret hæc assertio Ciceronis, quia, ut recte monet ipse Balduinus, de priore illa reversione Mancini neque Rutilius, neque P. Mucius moverunt quæstionem. Quid ergo dicemus? Videtur Cicero festinans in Topicis cum contradicere vellet sententiæ Rutilii in de Oratore recensitæ, unam thesin pro alia posuisse. Rutilius ita. 1. Mancinus civis Romanus non est: 2. quia postliminio non rediit: 3. dediti enim postliminio non redeunt. Cicero contra: Mancinus est civis Romanus. Hæc enim est intentio ipsius primaria, ut ex loco tertio pro Cæcina d. §. 51. videri potest. At cum pro defendenda hac sua sententia debuisset negare connexionem secundæ theseos cum prima, quoniam Mancinus non opus habebat postliminio, ut qui civis Romanus nunquam esse desit, quod etiam in Oratione pro Cæcina fecerat, hic parum interesse ratus, quam rationem Rutilii impugnaret, si modo ejus prima thesis subverteretur, concessit ex incogitantia connexionem secundæ theseos cum prima, & potius secundam hanc negavit, quoniam deprehendit, aliquid se regerere posse adversus tertiam thesin Rutilii, ejusque applicationem ad Mancinum, quod nempe Mancinus non sit deditus.

§. LXVIII. Scilicet deditio accipitur vel de toto negotio, quod geritur inter dedentes & acceptantes, vel pro actu saltem dedentium, quatenus acceptationi alterius populi opponitur. Igitur hoc tamen recte Cicero voluit. Dum leges & mores antiqui voluerunt, ut deditorum nullum sit postliminium, haud dubie hanc doctrinam intelligendam esse de deditis & acceptis, quia ratio hujus doctrinæ, ut modo diximus, fundat se in capite juris naturalis de fide data servanda. Ergo male hanc doctrinam in se quidem veram applicari a Rutilio ad Mancinum, cum hic non sit acceptus, & ita nullum pactum cum hostibus initum ipsi, quin redire possit, obstet. Sive deinde hic reditus ad postliminium referri debeat, sive aliunde, id quidem Ciceroni perinde erit.

§. LXIX. Et in hac Ciceronis doctrina isto modo exposita ipsi quoque acquiescimus, ultima ejus verba de comparatione deditiois cum donatione saltem ut argumentum illustrans consideramus, ut sensus sit: Quemadmodum ad donationem & in genere ad omnem actum, in quo per modum acquirendi derivativum dominium transfertur, aut ejus translatio intenditur, requiritur, ut altera pars, quæ



dominium vel obligationem acquirere vult, consensum suum exprimat, alias vero nulla donatio, venditio &c. est, neque res transferenda pro derelicto habetur; ita nec pro deditioe cum affectu scilicet haberi debet, si deditus non sit acceptus ab hostibus. Pertinet huc formula consuetiva in deditioe activa. *Deditisne vos in populi Romani deditioem? Dedimus. Et ego recipio* Vid. *Ærod. f. 16. c. 3.*

§. LXX. Accedit eidem sententiæ Ciceronis summus Grotius *lib. 2. c. 21. §. 4. sect. 7.* quamvis quoad ultimam hanc comparationem donationis cum deditioe aliquatenus dissentiat, cujus verba, cum fere hæctenus dicta confirmant, apponemus. *Hic de deditis, inquit, occurrit questio, an, si a sua civitate dediti nec recepti sint ab aliis, cives maneant? Non manere censebat Publius Mutius Scevola - - Contrariam sententiam defendit Brutus, & post eum Cicero, quæ & verior est, non tamen proprie ob id argumentum, quod Cicero affert, quia, ut donatio, ita deditio sine acceptione non possit intelligi. Nam actus donationis perfectionem non habet, nisi ex duorum consensu. At dedere, de quo hic agamus, nihil est aliud, quam civem alterius populi potestati permittere, ita, ut de eo statuat, quod voluerit. Hæc autem permissio jus nullum dat, aut adimit, executionis tantum impedimentum tollit. Quare si alter populus concessio jure non utatur, erit is, qui deditus est eo loco, ut a suo populo possit puniri, - - - aut non puniri, ut multa sunt delicta, in quibus utrumvis fieri potest. Jus autem civitatis, ut & jura & bona alia non amittitur ipso facto, sed decreto aliquo aut judicio, nisi lex aliqua factum velit haberi pro re judicata, quod hic dici non potest. Hoc denique modo & bona si dedita nec accepta sint, manebunt, cujus fuerant.*

§. LXXI. Constat vero ex discursu nostro, quam bene conveniant hæc Grotiana cum iis, quæ Cicero differit in Oratione pro *Cæcina*, & quam non bene Grotius penetraverit mentem Ciceronis in *Topicis* quoad comparationem donationis & deditiois. Esto enim, quod sit aliqua differentia inter donationem & deditioem, sufficiet tamen pro comparatione Ciceronis & ejus intentione, quod ut ipse Grotius declarat in utraque sine acceptione nihil sit actum. Ut taceam paululum obscurius esse, quid velit differentia Grotii, quam inter istos duos actus ponit. Nam quod dicit donationem non habere perfectionem, nisi ex duorum consensu id ipse in sequentibus demonstrat de deditioe, quod nempe nec hæc perfectionem (in effectu nimirum) habeat,



habeat, sine aliorum acceptione. Deinde quod ait, in deditioe permissionem deditum jus nullum transferre, sed executionis impedimentum tantum tollere, potius inverterem, & imo per hanc permissionem jus in alios transferri. Si enim non transferretur permissio illa haberet aliquid instar derelictionis & deditum constitueret in conditione vel rerum nullius, ut a quovis possit occupari etiam a tertio populo, cui deditio non fit, quod esset absurdum; vel certe in conditione libertatis, omnimoda, quo pacto civitas dedens nullum haberet jus deditum non acceptum punire, quod tamen Grotius asserit. Illam potius differentiam evidentiorer arbitrarer inter donationem & deditioem, quod illa intendat translationem domini, hæc ex supra dictis imperii translationem. Sed hæc differentia nihil facit ad præsens negotium, & si in omni argumento a pari vellemus quamcumque differentiam attendere, nullum argumentum ejusmodi vim ullam probandi haberet, cum nihil sit in toto hoc terrarum orbe, quod non cum omnibus aliis rebus & in aliquo conveniat, & in aliquo differat.

§. LXXII. Novam pro Mucio contra Ciceronem objectionem movet Franciscus Balduinus in *Jurispr. Muciana* p. 46. seq. Cicero, dicit, *jure quodam relationis negat deditioem esse sine acceptione. Sed P. Mucius subtiliter & acute vidit fallaciam ejus relationis. Vidit, posse uni adimi, quod alteri detur, ut licet datio sit inutilis atque inanis, utilis sit tamen ademptio, sicuti, Ulpianus respondit de re legata, quam transferre voluit testator, ut priori non debeat, licet secundus non captat, cap. 34. de legat. lib. 1. Imo vero ipse quoque Pomponius lib. 1. ad Q. Mucium. Si, inquit, transferam legatum in eum, cum quo nobis testamenti factio non est: licet ei non debeat, nec illi tamen debetur, cui fuerit ademptum. c. 20. de adim. leg.* Sed profecto Balduinus ex amore hic erga leges Justinianas videtur hoc loco argumentum conquissivisse a maxime diversis. Ut enim taceam, ab ultimis voluntatibus ad actus inter vivos argumentum non procedere; in eo inter translationem legatorum & deditioem magna est differentia, quod in translatione duo testator principaliter agere voluerit, adimere uni legatum, & in alterum idem transferre, adeoque hic omnino locum sibi vindicet regula: *Si actus meus non valet in quantum valere volo, valeat, in quantum potest; at in deditioe principaliter intentitur translatio, secundo cessatio*



cessatio juris proprii, quæ adeo sine illo principali facta fuisse non sub-  
intelligitur. Et quamvis Balduinus statim subjungat potuisse patrem  
patratum Mancino civitatem adimere sola deditione, tamen jam supra  
monuimus, jam non quæri, quid fieri potuerit, sed quid factum fuerit.

§. LXXIII. Concludimus igitur absque ulteriori hæsitatione  
Mancinum per illam deditionem civitatem haudquaquam amisisse, nec  
postliminio habuisse opus. Quid autem tum temporis, cum contro-  
versia illa moveretur, decisum fuerit, indicant, quamvis paululum ob-  
scurius, verba ultima Pomponii: *De quo (Mancino) tamen lex postea  
lata est, ut esset civis Romanus, & præturam gereret.* Ex his verbis Fran-  
ciscus Balduinus in *Jurispr. Muciana p. 47.* infert, Scævola opinionem in illa controversia obtinuisse. Nam, ait, *si postliminio locus hic  
fuisset, certe novo privilegio non fuisset opus.* Eo inclinare videtur & Æ-  
rodus *d. f. 546. cap. 2.* Certe aperte ait Cicero pro *Cecinna, mansisse civem:*  
*Pomponius contra: ad hoc latam esse legem, ut civis esset. Sed & Prætu-  
ram gessisse postea, qui modus erat recuperandæ semel amissæ dignitatis.*  
Mihi vero rationes Balduini & Ærodii id non persuadent. Nam ut  
initio taceam inquirendum esse, quo jure fundetur assertio Ærodii,  
gestionem Præturæ fuisse modum recuperandæ semel amissæ digni-  
tatis, id tamen certum est, Præturam etiam ab iis gestam esse, qui nun-  
quam civitatem aut dignitatem suam amiserant. Adeoque ex gesti-  
one Præturæ, neque pro retentione civitatis, neque pro amissione e-  
jusdem conjectura desumi potest. Deinde quod legem pro Mancino  
latam concernit, quæstio est, an ista lex inter privilegia referri debeat,  
ut vult Balduinus, an vero ex rationibus communibus controversiam,  
quæ fuit inter Brutum & Scævola, quam forte Senatus ipse certis de  
causis dirimere noluit, definiverit pro Bruto contra Scævola. Cer-  
te eo inclinatur Glossa *ad d. l. ult. de Legat. Lex lata est, ait, ut Mancinus  
esset civis Romanus. Quasi insit in deditione ea tacita conditio, si ab ho-  
stibus admittatur. Quædam enim quandoque tacite intelliguntur, ut si er-  
ranti possessio tradatur, non videtur tradens perdere, cum errans non  
querat, ut supra de acquir. poss. l. si me in vacuum. Item si creditor  
permisit vendi pignus, ita nocet, si venditio secuta est. Ut supra quibus  
modis pignus vel hyp. solv. l. sicut. §. quæ voluntate, & supra de fi-  
dejuss. l. si stipulatus. §. penult.* Igitur hic mallet dicere, per illam  
legem sententiam Mucii fuisse rejectam.

§. LXXIV.



§. LXXIV. Sed quid nunc Modestino faciemus in l. 4. de captiv. dum dicit: *Eos, qui ab hostibus capiuntur, vel hostibus deduntur, jure postliminii reverti antiquitus placuit.* Jam supra §. 62. examinavimus conciliationem horum verborum cum Paulo in l. 17. ff. eod. & assertione Rutilii apud Ciceronem libr. 1. de Oratore, quam Grotius proponit l. 3. c. 9. §. 8. l. 2. c. 21. §. 4. sect. 7. *At si deditio accepta sit, & postea casu aliquo reversus sit is, qui fuerit deditus, is civis non erit, & ostendimus illam ad rem nihil facere.* Similis difficultas est in verbis subsequenti- bus: *An qui hostibus deditus reversus, nec a nobis receptus, civis Romanus sit, inter Brutum & Scævola varie tractatum est. Et consequens est, ut civitatem non adipiscatur.* Quid enim hic vult: *nec a nobis receptus.* Si reversus a nobis plane non recipitur, frustra quæritur, an jure civis, an vero jure peregrini censeri debeat. Deinde eadem verba male quadrant ad controversiam de Mancino, quæ inter Brutum & Scævola ventilata fuit, quoniam supra diximus Mancinum a Romanis fuisse receptum, vid. §. 50.

§. LXXV. Quare ut una fidelia duos dealbemus parietes, nostra facimus verba Balduini d. l. p. 48. *Denique Modestinus P. Scævola veluti subscribent, ait, hostibus deditum reversum, nec receptum, non adipisci civitatem. Ubi scribitur nec a nobis receptum, legere mallet, nec ab iis receptum. Nam ita res postulat. Quid autem est, quod paulo ante Modestinus ait, ab hostibus captos vel hostibus deditos jure postliminii reverti antiquitus placuisse? Hostibus a patre patrato deditos illo jure uti olim negavit, ut dixi, Rutilius. Hic mihi rursus suspectus est Modestini locus. Nam & qui privatim se dedunt, qui, inquam, armis victi hostibus se dederunt, postliminio carent, ut ait Paulus cap. 17. de captiv. & de post. Quid igitur, si apud Modestinum alternationem mutarem in negationem, & legeremus: Nec hostibus deduntur. Neque tamen, ut aliquid temere mutetur, auctor sum. Ego vero mutationem hic temerariam non arbitrarer, quia hanc mutationem vel similem imperant, & fides historica de controversia Mancini & rationes supra adductæ, quod deditorum nullum sit postliminium.*

§. LXXVI. Sed inquis, si admittis, Modestinum in hac lege expresse accedere sententiæ Mucii, frustranea erit disputatio tua, qua evincere conatus es civem deditum nec ab hostibus acceptum jura civitatis retinere. Imo vero respondebo, non est frustranea.

Neque



Neque tamen provocabo hic ad legem pro Mancino latam, de qua modo §. 73. sed demus omnino populum Romanum contra Mancinum judicasse, & consentire in hac sententia Brutum, Scævola, Modestinum, Pomponium. Quid id ad nos. Isti Juri fuerunt viri eruditi. Legislatores nostri non fuerunt. Et nostris Doctoribus potestas de jure respondendi concessa est: At responsa hæc in corpus Juris Justiniani relata sunt! Neque ad nos tamen aliquid Sacratissimus Imperator Justinianus, cum ipsius imperio nunquam fuerimus subiecti. Sed receptum tamen est Jus Justinianum in judiciis non solum tacito populi Germanici consensu, sed & publicis imperii recessibus. Scio. Sed & id scio, receptionem eam valere saltem in controversiis juris privati. Qui vero arbitrantur & in quæstionibus juris publici, qualis præfense est, vim legum habere centones Triboniani, si profecto seculo hoc politiori vapulant & ridentur.

S. D. G.









